DE
TRAGŒDIA APUD ROMANOS

CIRCA PRINCIPATUM AUGUSTI CORRUPTA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

L. BRUNEL

Scholæ normalis olim alumnus.

PARIS
LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie
79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1884

DE

TRAGŒDIA APUD ROMANOS

CIRCA PRINCIPATUM AUGUSTI CORRUPTA

COULOMMIERS. — TYPOGRAPHIE PAUL BRODARD ET C^ie^.

DE

TRAGŒDIA APUD ROMANOS

CIRCA PRINCIPATUM AUGUSTI CORRUPTA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

L. BRUNEL

Scholæ normalis olim alumnus.

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C[ie]

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1884

DOCTISSIMO VIRO

DILECTISSIMO MAGISTRO

G. BOISSIER

MEMORIS ANIMI REVERENTISQ. PIGNUS
HANC THESIM

D. D. D.

DE
TRAGŒDIA APUD ROMANOS
CIRCA PRINCIPATUM AUGUSTI CORRUPTA

CAPUT PRIMUM

QUÆNAM IN VETERE ROMANORUM TRAGOEDIA PROPINQUÆ RUINÆ SIGNA DIGNOSCANTUR.

§ 1. Quam cito corrupta sit apud Romanos tragœdia.

Quam præmature apud se defluxerit tragica poesis, ipsi Romani mirati sunt atque confessi. Velleius enim, qui imperante Tiberio suas historias conscripsit : « Nisi aspera, inquit, ac rudia repetas, et inventi laudanda nomine, in Attio circaque eum romana tragœdia est [1]. » Paulo quidem severior ille videri potest, qui Ennium, Pacuvium ac ceteros ante Attium tragœdiarum scriptores « inventi » tantum « nomine laudare » dignetur; qui deinde Varium, Pollionem, Ovidium, in nullo tragicorum poetarum numero faciat. Attamen si tragœdiæ

1. I, 17.

romanæ fragmenta evolvas (unius enim Senecæ opera tota possidemus), quæ nobis tradiderunt grammatici aliive posterioris latinitatis scriptores, Vellei sententiam mirari desines. Etenim veteres tragicos, quorum ultimus ac praestantissimus fuit Attius, etsi disjectos in rudera intuemur, ab injuria temporum, quantum fieri potuit, vindicavit non aequalium modo sed posteriorum etiam memor industria; contra recentiores in oblivionem quam citissime cecidisse credas, adeo rara et maligna de iis occurrit mentio; quod profecto non accidisset, si favorem antiquis superiorem aut saltem non imparem adepti essent.

Ergo romanæ tragœdiæ splendor brevis, at non mediocris, contigit. Fragmenta illius quæ supersunt, si non iniqua mente cum absolutis Græcorum fabulis conferantur, at qualiacumque sunt æstimentur, trunca nempe et sermonis adhuc egeni, satis per se nitent, atque comprobant eam, quæ fuit Romanis de hac litterarum suarum parte, superbiam.

In comœdia, si Quintiliano creditur [1], maxime claudicaverant; quantum igitur admirandos, si magis quam Terentium ac Plautum, exstitisse Ennium, Pacuvium, Attium putabimus! Rudes sane erant et asperi, ut ait Velleius [2]; verrucosi, ut Persius [3] : verum apud gentem Græci leporis ignaram et rerum magis quam verborum curiosam, voluptati minime nocuerat quædam auctorum in struendis versibus aut in vocibus jungendis negligentia. Si quid denique in illis desideratum est, « magis id videri potest temporibus quam ipsis defuisse [4] ». Quod

1. X, 1, 99.
2. I, 17.
3. I, 77.
4. Quintil., X, 1, 97.

autem in tragœdia proprium ac præcipuum requiritur, magni scilicet affectus, personæ nobiles cum adversa fortuna vigore plus quam humano decertantes, stylus grandis grandi materiæ conveniens, id tragicis prioribus non defuit, sed valde oblectavit eos qui fuere nascentis apud Romanos tragœdiæ spectatores.

Imo conspicuum est quam apte congruat cum tragica gravitate gentis illius indoles. Celebrata est Flacci, qui non clementer solet priscos Romæ scriptores judicare, hæc sententia de eorum ingenio :

> Spirat tragicum satis, et feliciter audet.

In eorum videlicet tragœdiis semet agnovit populus

> natura sublimis et acer [1].

Itaque ubi primum agresti Latio illatæ sunt Græcorum artes, nullam majore diligentia ac libertate quam tragicum poema sibi imitandam Romani assumpserunt. Quid quod vestigia græca mox deserere ausi sunt, et fabulas mere romanas, quæ prætextæ dicebantur, e patriis annalibus haustas, sine duce, sine auctore, effinxerunt.

Verum ut eloquentia non ubique viget, sed fori libertatem, partium contentiones, « materiam » denique « qua alatur » exposcit; ita scenica poesis, in antiquis præsertim civitatibus ubi popularibus festis auxiliabatur, non nisi vulgo consentiente florere potuit. Quidlibet eximii poetarum ingenium excogitaret, penes vulgus scena erat. Dum igitur poetæ laudantur qui veterem Romanorum tragœdiam tanta ubertate ac varietate commendabilem

1. *Epist.*, II, 1, 165.

condiderunt, pars ejus laudis magna in populum redundat qui poetas suis studiis evexerit, aluerit, foverit.

Annis vero circiter quinquaginta post Attii mortem, vide quomodo populus idem tragœdiam excipiat. Horatium testem adhibere licebit qui prosperam veteris tragœdiæ fortunam sincere jactaverit, nec tamen haberi possit nimius temporis acti laudator.

> Sæpe... (inquit) audacem fugat hoc terretque poetam,
> Quod numero plures, virtute et honore minores,
> Si discordet eques, media inter carmina poscunt
> Aut ursum aut pugiles : his nam plebecula plaudit [1].

Ad pauciores igitur jam redeat oblectamentum olim universo populo gratum, si pristina studia tam cito plebs abdicavit. Atque utinam eques ille, qui discordans ostenditur, periclitantem tragœdiam ab interitu prohibeat. Hoc sane deceat homines tam excultæ mentis, qui Virgilium, Horatium ipsum, tot alios poetas tum maxime in omni genere excellentes admiratione docta prosequantur. Non ita est; neque egregius ille spectator, ubi in theatro consedit, imperitorum vecordiæ satis fortiter repugnat; namque

> Equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
> Omnis ad incertos oculos et gaudia vana [2].

Non ursum quidem ille poscit aut pugiles media inter carmina; attamen haud ægre id patitur, imo plaudit ac stupens inhiat, si quatuor aut plures horas interrupto poemate decurrant in pulpitis « equitum turmæ peditumque catervæ », varia curruum genera, longinquarum regionum belluæ, si portentur peregrinæ divitiæ, lauta

1. *Epist.*, II, 1, 182.
2. *Ibid.*, 187.

supellex, vestes, ebur, et quæquæ spectantium animos ab argumento tragico amovere ac fugare possint, ad otiosa spectacula conversos.

Quantavis autem fuerit hujus populi vanitas et inconstantia, incredibile est subitam fuisse tantam depravationem. Horatii adeo versus, qui supra memorantur, revolventi succurrit duplex ille *Hecyræ* Terentianæ casus, quam semel ut pugiles, iterum ut gladiatores spectaret « populus studio stupidus [1] » deseruerat. Gliscentia igitur vitia, non omnino nova, in æqualibus suis Horatius reprehendit, et jam in eam licentiam erumpentia ut vix corrigi queant. At ne opinemur, quos dicit Horatius « numero plures, virtute et honore minores », quos penes videlicet scenæ arbitrium est, longe alios Augusti, alios Scipionum ætate fuisse; quales tum apparent, tales jamdudum esse cœperant, rudes nempe et insulsi. Neque comœdiam pristinus iste populus prorsus aspernabatur, et tragœdiam, ut constat, singulari favore amplectebatur, sed ea lege utramque, ut Attica, quam redolet Terentius, venustas ac simplicitas succo quodam asperiore condiretur. Felicissimo quidem ingenio fuerunt poetæ qui Græcorum fabulas civium suorum indoli convenienter temperavere : hoc excellit in comœdia Plautus, hanc laudem tragicis romanis merito non invideris. At sine poetarum injuria licet inquirere nonne, in tragœdia praesertim, Græcorum artem temperare minus quam pervertere, quid ageret inscium, vulgus studuerit, et reipsa perverterit. Non temere enim accidit ut principe Augusto tragici fontes quasi arescerent.

1. Terent., *Hecyr.*, prolog., 4, 30 et seq.

§ 2. De saltationis initiis.

Hæc populi romani crassa, ut ita dicam, de scenicis rebus Minerva in ipsis fere artis illius incunabulis deprehenditur. Notissima est enim de Livio Andronico, qui primus apud eos fabularum auctor et actor exstitit, hæc narratiuncula : « Dicitur, quum sæpius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat ; inde ad manum cantari histrionibus cœptum diverbiaque tantum ipsorum voci relicta [1]. » In comica fabula mos ille institui cœperit, an tragica, nil ad rem; quippe quem constet in utroque genere mox valuisse et ceteras operis partes tandem obruisse. Jam inde satis patet romani spectatoris insulsitas ; qui non argumento callide juncto studet, neque fabulam ordine peragi sinit, verum in canticis insistit atque hæc embolia, revocato histrione, iterum atque iterum agi jubet. Neu credas eum lyrici carminis vel cantus suavitate detineri ; non poetæ neque musici artem miratur, sed histrionis ; membrorum orisque mobilitatem, ut fit in actu vehementiore, avide contemplatur; quumque ætate jam gravis artifex Livius et actioni et modulationi simul sufficere nequeat, eam sibi ille partem tuetur qua maxime sciat se placiturum, et fit pro recitatore gesticulator, carminis pronuntiandi cura socio cuidam infimo relicta.

Ea sunt scenicæ saltationis apud Romanos primordia, quam non a Græcis erant mutuati et majore in dies

1. Liv., VII, 2.

studio foverunt : itaque ut de satïra, sic de saltatione « totam esse suam » merito gloriari potuissent [1].

Dicitur quidem saltatio non prius quam Augusto principe instituta [2], quia tum demum a scenico poemate secessit, et quasi singulare ludicrum facta est, solaque in pulpito stetit. Hoc suo loco fusius exponetur. Nunc vero satis sit ostendere quanto pluris in tragœdia vel nascente gestum histrionis et illud « loquax silentium » Romani fecerint, quam ipsam argumentorum vim atque carminum leporem. In arte adeo nondum adulta jam inest letalis tabes, quæ magis in diem vigescit.

Hoc ipse Tullius quasi invitus fatetur, quo certe nullus fuit romanæ tragœdiæ peritior judex aut amantior. Nonne jam enim pantomimum depingere videtur, quum præscribit ut sit oratoris « gestus, non hic *verba exprimens, scenicus*, sed universam rem et sententiam, non *demonstratione*, sed *significatione* declarans [3] »? Scilicet quæ motus immodestia in oratore ridicula videretur et omnem dicenti fidem adimeret, eamdem in actu tragico non indecentem romanus spectator arbitratur.

Nempe in canticis parum carmini attenditur; quo neglecto, nil aliud quam volubilem histrionis habitum adstantes curant; rei ac personæ convenientem annon, nil refert : spectaculi summa est quantum ille pedibus ac manibus valeat sensus expromere. Neque id in vilioribus histrionibus, sed in ipso Æsopo verum est. Magnus

1. Nam in Italia παντόμιμοι artifices, non in Græcia nuncupati sunt (Lucian, *de Salt.*, 67); et profecto ad Livium Andronicum attinet hoc Luciani de saltationis initiis testimonium : πάλαι μὲν γὰρ οἱ αὐτοὶ καὶ ᾖδον καὶ ὠρχοῦντο· εἶτ' ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν. (*Ibid.*, 30.)
2. *Ibid.*, 34.
3. *De orat.*, III, 59.

ille artifex in Ciceronis oratione *pro Sextio* inducitur, quum, inter ludos ob dedicationem templi Virtutis celebratos, Attii *Eurysacem* ageret, atque poetæ verba in Tullii ipsius exsulis laudem converteret. Quum autem velit orator vivida quadam imagine depingere « maximum consessum » populi præter consuetudinem commoti, et indignam illius sortem deflentis,

> ...Qui rem publicam animo certo adjuverit,
> Statuerit, steterit cum Achivis...,

qui

> Re dubia.....
> Haud dubitarit vitam offerre nec capiti pepercerit,

hoc unum ac vere mirandum enarrat tantæ miserationis indicium : «... Cum jam *omisso gestu* verbis poetæ et studio actoris et exspectationi nostræ plauderetur [1]. »

Nullos artifices habuit Romanorum scena Roscio Aesopoque majores, quorum etiam mortuorum fama permansit et fabulas ab illis actas apud posteros commendavit [2]. His sane virtutes non defuerunt quæ semper et ubique a sapientissimo quoque summæ in histrionibus æstimatæ sunt, nempe partes suas cum veritate defendere, poetarum inventa sagaciter ac fideliter interpretari : nam ut ingenio ac disciplina præstantes eos prædicat Tullius [3]. At doctissimi artifices mirum est quantum concesserint pravis Romanæ plebeculæ studiis. Nonne enim vitio

1. *Pro Sext.*, 56.
2. Hor., *Epist.*, II, 1, 80 :

> .....clament periisse pudorem
> Cuncti pæne patres, ea cum reprehendere coner,
> Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.

3. *Pro Rosc. comœd.*, 6.

propinquum est illud, quod in Æsopo jactat, utpote in amico et familiari, Tulliani dialogi particeps Quintus frater : fuisse « tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quædam abstraxisse a sensu mentis videretur [1] »? Hoc est non agere fabulam, sed debacchari, et veritatem ultra modum sectari : nec procul ille abesse videtur a pantomimorum insania, qui, quum furentes personas, Herculem Ajacemve, saltarent, furere ipsi crederentur [2]. Atque ideo, ut opinor, apud Romanos in honore erant cantica, quod eam actionis vivam nudamque veritatem ferre censebantur. Quem amorem in ea gente non miror cruentorum ludicrorum tam curiosa : in vera caede multo plus enim quam in ficta deliciarum inerat.

Eadem etiam causa fuit cur principio annos fere céntum non personati actores prodierint [3], neque unquam Romæ sub persona valde placuerint. Fatetur enim Tullius id seniores in Roscio vituperavisse [4], qui, quod « oculis perversis erat nec satis decorus », personatus plerumque pronuntiabat [5]. Personarum, præcipué tragicarum, hians rostrum Atellanarum scriptor deridet [6]; neque minima laus pantomimorum habita est quod talibus non uterentur, sed ad exactam oris humani similitudinem effictis [7].

1. *De Divin.*, I, 37.
2. Macrob., *Saturn.*, II, 7, 16; Lucian., *de Salt.*, 83.
3. Vide Ribbeck, *Römische Tragöd.*, p. 660.
4. *De orat.*, III, 59.
5. Diomed., t. I, p. 489 (Keil).
6. Novius, in *Pædio* (Ribbeck, *Comic. fragm.*, p. 265) :

Nec unquam
Vidit rostrum in tragœdia tantum Titi [theatrum].

7. Lucian., *de Salt.*, 29 : τὸ δὲ πρόσωπον αὐτὸ ὡς κάλλιστον καὶ τῷ ὑποκειμένῳ δράματι ἐοικός, οὐ κεχηνὸς δὲ ὡς ἐκεῖνα ἀλλὰ συμμεμυκός.

Licet igitur in tragico poemate Græcos Romani imitentur, ibi quam primum suam indolem patefaciunt : novum quid ac proprium Græcis fabulis inserunt, cantica scilicet seu carmina ab uno histrione cantanda; mox autem illud singulari studio prosequuntur, et quasi carmen ipsum nullius momenti sit, ejus pronuntiandi munus infimo cuilibet artifici mandari gaudent, præcipuum vero actorem actioni soli se totum dedere; ita spectatissima fit dramatis ea pars in qua nihil poeta effecit. Ut denique de vulgo, non de paucis doctioribus, loquamur, dici potest jam ab initio vere patrium apud eos esse tragœdiae genus et continuo crescere, quod maturum suis mox viribus vigebit et tragœdia etiam tum appellabitur, exortam scilicet a canticis saltationem.

§ 3. Quanta pars romanæ tragœdiæ musica facta sit.

Fuerat in Græcorum tragœdiis justus locus musicæ datus, imo servatus, sed ita tamen definitus, ut ea tragicos affectus secundaret, non ut discuteret : neque enim alibi quam in choris recipiebatur. In romana tragœdia mutatum est ac restrictum chori officium ; at canticis, quæ sæpius occurrebant, musica interfuit atque ideo tam spectabilis pars tragœdiarum facta est, ut in titulis « illius qui... modos faceret nomen et scriptoris et actoris superponeretur [1] », sicut in Terentii διδασκαλίαις apparet. Hos autem modos tam sedulo nonnulli exaudiebant, ut « primo inflatu tibicinis » quænam agi tragœdia cœpta esset statim agnoscerent [2]. Primis temporibus mira erat

1. Donat., *De trag. et com.*, secundum Langii emendationem (*Vindiciæ trag. rom.*, p. 45).
2. Cic., *Acad.*, II, 20.

inter carmina et canorem concordia : laudat enim Tullius in Livianis et Nævianis modis « jucundam severitatem [1] », atque de hoc Ennii « præclaro carmine » :

O pater, o patria, o Priami domus,

notat quam « sit et rebus et verbis et modis lugubre [2] ».

At simul ingenti desiderio fatetur quam vetusta jam haec musica vulgo censeatur atque inconcinna. Itaque « cantores Euphorionis [3] » objurgat, putidioris videlicet et exsultantis cantus fautores, quorum famosissimum Hermogenem Tigellium tam lepide ab Horatio descriptum videmus. Eorum ideo Ciceronem piget, sincerum nempe tragœdiæ amatorem, quod flexionibus suis immodicis theatra conturbant atque gravitatem fugavere tragicos versus rite audituris necessariam. Valeat felix ille, qui prius fuerat, poesis ac musicæ concentus; hoc unum restat, ut a tragico poemate sese modulatores expediant, et quidquid in eo non ipsorum operæ indiget e scena decedere jubeant.

Quod, ut æquum erat, paulo post evenit. Suetonius enim narrat inter ludos funebres in Cæsaris honorem habitos « cantata fuisse quædam ad miserationem et invidiam cædis ejus accommodata ex Pacuvii *Armorum judicio*... et ex *Electra* Atilii ad similem sententiam [4] ». Hic profecto non de totis tragœdiis, ut solet, sed de selectis partibus agitur, canticis videlicet aut choris, quæ, vel a reliquo carmine sejunctæ, satis haberent propter

1. *De legib.*, II, 15.
2. *Tuscul.*, III, 19; cf. *De orat.*, III, 58.
3. *De legib.*, ibid.
4. Sueton., *Cæsar*, 84.

cantus dulcedinem oblectationis. Nec minus manifestum est more jam ante constituto Cæsaris ultores innixos fuisse, neque tantum tumultum impune fuisse concitaturos, nisi solitum et specie innocuum acroama offerre visi essent : nam dictatoris interfectores etiam tum Romæ dominabantur. Scilicet quum cantores tantum produci, vocis ostentandæ causa, crederentur, quo magis inopinatus, eo ardentior populi dolor erupit [1].

Attio vixdum igitur mortuo, jam romanæ tragœdiæ, ut ita dicam, membra dilaniantur : assuescit populus singulas illius partes, singulos artifices in theatro intueri; fit per solos musicos novum ludi scenici genus. Inter quos præcipuo favore vigentes citharœdi (voce simul illi citharaque cantabant) tragicis histrionibus vestitum habitumque simillimum habebant, tanquam idem munus exsequerentur : prodibant enim « palla inaurata induti, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta » ; ceterum iis « forma et species et statura apposita ad dignitatem [2] ». Quippe et apud Græcos, non quidem in florida tragœdiæ novitate, sed quo tempore scenam Romani exstruxerunt, citharœdi τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν erant atque in theatro munus suum exercebant [3]. Neque dubium est quin antiquitus eamdem licentiam Romæ habuerint, ac frequentius in diem usurpaverint, donec, Nerone imperante, inter tragœdorum atque citharœdorum conditionem nihil jam omnino intersit [4].

1. Idem tum populum sensisse arbitror quod Neronis convivas, quum, jubente fratre, Britannicus « constanter exorsus est carmen quo evolutum cum sede patria rebusque summis significabatur ». Tacit., *Ann.*, XIII, 15.

2. Cic., *ad Herenn.*, IV, 47.

3. Welcker, *Griesch. Tragöd.*, p. 1286.

4. Cic., *ad Herenn.*, ibid. : « Si, quum *magnam populo commoverit...*

An citharœdi tragœdiarum cantica potissimum modulati sint, haud compertum est; nam cantores quidem lyrica omnis generis carmina [1], non scenica tantum, in suum usum converterunt, licet proprie scenici artifices essent. Verisimile est tamen neutros a melicis tragœdiarum partibus abstinuisse, vel quum singillatim festis seu privatis seu publicis interessent, ac per eos paulatim hanc consuetudinem adolevisse, ut selecta tragœdiarum cantica audientiam sibi facerent atque meram aurium voluptatem praestarent.

Ceterum, si quando etiam integræ fabulæ peragebantur, adeo præpollebat in iis musica, ut poetica pars, quæ tragœdiæ summa principio fuerat, perinde negligenda esse videretur ac si prorsus fuisset sublata. Hanc calamitatem rectissime sensit Horatius, ac vehementer doluit, denique unde exorta esset non ignoravit :

> Tibia non, ut nunc, oricalcho vincta, tubæque
> Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco,
> Adspirare et adesse choris erat utilis atque
> Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
> Quo sane populus numerabilis utpote parvus
> Et frugi castusque verecundusque coibat.
> Postquam cœpit agros extendere victor et urbes
> Latior amplecti murus, vinoque diurno
> Placari genius festis impune diebus,
> Accessit numerisque modisque licentia major;
> Indoctus quid enim saperet liberque laborum
> Rusticus urbano confusus, turpis honesto [2]?

exspectationem (citharœdus), repente silentio facto, vocem emittat acerbissimam cum turpissimo corporis motu; quo melius ornatus et magis fuerit exspectatus, eo magis derisus et contemptus *ejicitur.* » Ubi hæc, nisi in theatro?

1. Hor., *Sat.*, I, 10, 19.

> ..... quos neque pulcher
> Hermogenes unquam legit neque simius iste
> Nil præter Calvum et doctus cantare Catullum.

2. *A. P.*, 202.

De musicæ incrementis loquitur; quapropter multiplicem spectatorum turbam ac prævalentem in ea stolidorum numerum incusat. Nempe necesse erat ut ludicra pluribus grata fierent : musica autem, quamvis venustatem propriam habere possit rudibus ingeniis præclusam, saltem, modo sufferti aliquid tinniat, populares strepitus vincit, et quorum etiam mentes non oblectat, certe aures implet ac tumultum operit. Tragœdiarum vero callida junctura, excelsi sensus, sermo concinnior et grandes, ut dicunt, cothurni, quotumquemque, nisi satis excultum, detineant? De musica igitur ac de gesticulatione pariter valet Horatii sententia : quæ scilicet fabularum partes maxime plebem ignaram juvabant, eæ demum poesim oppresserunt atque in theatro fere solæ steterunt.

§ 4. De scenico apparatu.

Quot spectatores, tragœdia quam maxime apud Romanes florente, tenuerint « nondum spissa nimis » sedilia, plane ignoramus. Mox autem eorum numerus ita crevit, ut Pompeianum theatrum, quod primum ut maneret ædificatum est (anno 698), quadraginta hominum millia ceperit [1]. Quid quod annis ante quinque et quinquaginta Scaurus ædilis theatrum temporarium insolenti luxuria exstruxerat nonaginta millia recepturum. In illis ædibus immensis et coram tanta multitudine, tragœdiæ tamen agebantur; quid autem in hoc spatio valeret vox tragici histrionis? aut quomodo posset ultra caveam imam, etiamsi omnes attendissent, exaudiri? Inde factum est ut sub tragœdiarum titulo spectacula generis

1. Plin., *H. N.*, XXXVI, 114.

diversissimi adstantium oculis præberentur; quid enim posset aliud quam profusa pompæ luxuries aut scenam late patentem implere, aut circumsedentem turbam detinere?

Hæc luxuries qualis fuerit, satis nos docet Horatius in ea tam ridicula descriptione, quam supra memoravimus; quæ quidem pestis, veluti romanæ tragœdiæ insita, nonnisi procedente tempore ad tantam insaniam evagata est; nec vero dubium quin eam Pompeiani theatri vastitas perpetuam atque ineluctabilem fecerit. Quod ideo quum dedicaretur, ægerrime tulit Cicero, veterum tragœdiarum alioqui tam diligens spectator. Tum enim M. Mario familiari in epistola : « Omnino, si quæris, aiebat, ludi apparatissimi, sed non tui stomachi : conjecturam enim facio de meo... Qui (ludi) ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres ludi. Apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem : quo quidem apparatu non dubito quin animo æquissimo carueris. Quid enim delectationis habent sexcenti muli in *Clytæmnestra* [1]? aut in *Equo trojano* [2] craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? Quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent [3]. » Quid? Nonne hæc legentis ad memoriam recurrunt Horatii versus :

> Captivum portatur ebur, captiva Corinthus [4]?.....

Scilicet ad hoc unum videbatur exstructum esse Pompei theatrum, ut posset scenica luxuries liberius expandi.

1. Fabula sc. Attii.
2. Quem inter incertorum poetarum fabulas collocavit Ribbeck (*Tragic. fragm.*, p. 234).
3. *Ep. fam.*, VII, 1.
4. *Epist.*, II, 1, 193.

Eodem ipso dedicationis die senior Æsopus quasi subito victus cessavit : « Is juraro quum cœpisset, vox eum defecit in illo loco : *Si sciens fallo* » [1]. Nonne et hoc subito histrionis emeriti lapsu tragœdia ipsa mox lapsura prænuntiatur, ut quæ non jam valeat tumultuosæ multitudinis clamores superare? Ac subit animum alter ille Horatii locus :

...............quæ pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus et mare Tuscum
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
Divitiæque peregrinæ, quibus oblitus actor
Quum stetit in scena, concurrit dextera lævæ [2].

Insignia sunt Tullii verba quibus *mediocribus* ludis *apparatos* comparat : mediocres ipse et sapientissimus quisque anteferunt, quibus nempe non major pompa adhibeatur quam quæ ad illustrandum poema satis sit; apparatis gaudet populus. At qui publicos ludos instruunt, magistratibus una cura est populum sibi conciliare; largitionis id genus est; non sumptui parcit qui civilis vult haberi. Hoc voluerat Pompeius, hoc Scaurus qui in immenso suo theatro ludos incredibilis magnificentiæ ediderat; in his, ut ait Plinius, « apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cetero choragio fuit ut, in Tusculanam villam reportatis quæ superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur H S CCC [3]. » Eodem ferme tempore rogatus Lucullus ut centum chlamydes scenæ præberet,

Qui possum tot? ait; tamen et quæram, et, quot habebo
Mittam;

1. Cic., *ibid.*
2. *Ibid.*, 200.
3. *H N.*, ibid.

quumque chlamydum sibi millia quinque esse domi præter exspectationem comperisset, petenti rescripsit

.....partem, vel tolleret omnes,

ratus profecto tam multos fore, sicuti mos esset, scenicæ pompæ ministros, ut tot chlamydibus uterentur[1]. Etiam antea, anno 568, id est quinquagesimo quinto circiter post romanæ tragœdiæ primordia, Fulvius Nobilior, quum Ambracia capta de Ætolis triumpharet, ludos fecit « apparatos » ; nempe e Græcia « multos artifices », scenicos videlicet, arcessiverat, siquidem tum acta est Ennii prætexta quæ *Ambracia* inscribitur[2].

Ergo si romanæ tragœdiæ annales usque ad originem investigare conemur, nusquam non comprobatur hæc grammatici sententia : « In græco dramate fere tres personæ solæ agunt... At Latini scriptores complures personas in fabulas introduxerunt, ut speciosiores frequentia facerent[3]. » Veras quidem personas et actionis participes significat Diomedes, mutas autem et quasi gregarias ad libitum addebant si qui studerent apparatos ludos efficere : quo magis concludendum est fuisse hanc frequentiam in romanis tragœdiis proprium quid ac quasi naturale, quum ipsi poetæ hoc adjumento vulgi favorem aucupari non dedignarentur. Quæ scilicet sana ac venusta Græcis visa fuerat, ea apud Romanos jejunior semper habita est simplicitas.

Huc adde quod chorum non in orchestra sed in pulpito locaverunt[4], ideoque agendis fabulis arctius, ut ita

1. Hor., *Epist.*, I, 6, 40.
2. Liv., XXXIX, 22; Cf. Ribbeck, *Römisch. Trag.*, p. 209.
3. Diomed., t. I, p. 491 (Keil).
4. Vitruv., V, 6.

dicam, admiscuerunt [1]. De chori partibus apud Romanos permulta nescimus; videmus tamen eum, quia stat in scena, cum præcipuis personis sæpius sermonem inire, ac, non sine motu cum verbis congruente, actis quæ repræsententur auxiliari; mox autem, si nullus jam interveniendi locus sit, e scena excedere, iterum, ubi opus erit, mutato habitu ingressurum [2]. Scilicet munus idem præstant quod in lyricis nostris fabulis illi canentium greges, quæ interdum procedunt, tumultu accurate composito moventur, pompam denique efficiunt tali ludicro necessariam. In plurimis tragœdiis (hoc quidem a Græcis non alienum) chorus idem et unus comparebat; id vero proprie romanum, quod seu speciem unam chorus, sive plures singillatim indueret, utrobique spectabatur in scena et vivas imagines edebat [3]. Sic Eumenides sceleratos revera agitabant ac tædis ardentibus perterrebant [4]. Magnum hoc et vere tragicum; atque utinam chorum semper æque profuisset spectantibus ostentare! Neque enim dubitandum est quin praecipuis personis atque actioni offecerint canentium turbæ, numero, vestitu, motibus conspicuæ, præsertim quum multo facilius esset hunc populum aurium atque oculorum illecebris quam mentis morari.

1. Vide Boissier, *Le poète Attius*, p. 106.

2. Hujus consuetudinis instar duos choros in Herculem Œtæum induxit Seneca, Ætolarum mulierum priorem, alterum Œchaliarum virginum.

3. Copiam exemplorum vide apud Ribbeck (*Römisch. Trag.*, p. 637, 638).

4. Cic., *pro Rosc. Amer.*, 24; in *L. Pison.*, 20; cf. Virg. *Æn.*, IV, 471 :

> Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes
> Armatam facibus matrem et serpentibus atris
> Quum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.

§ 5. Quænam apud Romanos, libera civitate, studia theatralis consessus fuerint.

Ex his quæ supra sunt concludendum esse videtur, non Horatii tempore primum erupisse populi romani in tragœdiis spectandis insulsitatem, sed ipsam tragœdiam ejus studiis semper repugnasse et ab origine vitiari cœptam esse. Contra multa magnaque documenta sunt, Attium et romanos ante illum tragicos opus fecisse populo gratissimum neque dignis admiratoribus caruisse [1]. Quod si verisimilia amplectamur, inter utrumque tenebimus, ac duplex illud statuemus : neque potuisse, infensis populi studiis vel frigentibus, annos circiter centum et quinquaginta continuos efferri tam copiosum tragœdiarum proventum; neque rursus, ni poetarum ingenia deseruisset vulgi sedulitas, potuisse subito tam florentem artem elanguescere.

Qua mente exceptæ fuerint antiquissimæ tragœdiæ, fere ignoramus; neque quidquam est cur non credamus Horatio, qui nobis ostendat Romanos illos, ubi primum e punicis bellis requievissent, studiose quærentes,

> Quid Sophocles et Thespis et Æschylus utile ferrent,

et tragœdia potissimum, utpote qui sublimiter sentirent, gaudentes [2]. Nec tamen ille celat quantum inter agreste Latium ingenuamque Græciam intersit. Atque jam ab initio discernere mihi videor sedentes in eadem cavea tragœdiarum spectatores et indole et institutione dispa-

1. Boissier, *Le poète Attius*, p. 15.
2. *Epist.*, II, 1, 62.

res. Hi sunt quibus placere « maxumam laudem ducit » Terentius [1], homines plerumque nobiles, Græcis litteris imbuti, qui patriæ laudem poeticam non minus quam militarem exoptent, et inter quorum clientelas enituerint Livius, Ennius, tragœdiæ romanæ conditores; in his summum judicii acumen, quo dignissima quæque in poematis laudent aut reprehendant, quod non fugiat manus artificis in opere impressa, stylus scilicet atque ingenii vis. Alii vero, multo plures, non poesis amore allecti ludos frequentant, sed quod dulce sit et solemne in universi populi conventu dies festos agitare, publica pompa perfrui, civile quoddam negotium in otio exigere; si comœdia agatur ridicula ac motoria, exsultabunt, sin minus, oscitabunt; si tragœdia, poterunt etiam delectari, sublimiore interdum versu corripi, miserabili aliquo personarum quæ inducuntur casu commoveri; si quid præsertim poterit a tragico sensu detorqueri et ad statum reipublicæ præsentem accommodari, tum effuse plaudent, consurgent, clamabunt, jubebunt hunc locum etiam atque etiam pronuntiari; at eam spectaculi partem vehementissime exspectabunt, eam constantissimo studio prosequentur, quæ magis sensibus quam intellectu percipiatur, hilaritatem non fuget, facilem gratuitamque afferat voluptatem.

In hac imagine depingenda plebis romanæ scenicos ludos spectantis, ipsum Tullium habemus præcipuum auctorem, non illum e malevolis, sed qui de theatrali consessu reverentissime loqui soleat : hunc enim comitiis et concionibus æquiparat, ac tantum non anteponit,

1. *Adelph.*, prolog., 18.

quum in eo liberius plebs significet, quibus viris faveat, quos respuat, quid denique de publicis rebus timeat aut cupiat [1]. Qui possit Tullius non animo grato meminisse, non magnificis verbis extollere diem illum felicem, quo fabulas Attianas, *Eurysacem* ac *Brutum*, Æsopus agens gemitus et lacrymas omni populo exciverit, non ob tragicarum personarum sortem, sed de indignissimo optimi civis exsilio, et « millies revocatus sit » in eo versu :

> Tullius qui libertatem civibus stabilitaverat [2].

Nec minore cura, etsi tum invitus, notaverat idem populi in Pompeium inimicitiam, qualis Apollinaribus ludis (anno 695) expressa fuerat, eo videlicet tempore quo societatem cum Cæsare Crassoque iniret vir nuper equitibus ac plebi acceptus. Quæ tragœdia, cujusve auctoris, tum acta fuerit, nil refert, neque traditum est : unum enim Diphilo tragœdo ac spectatoribus studium erat, vivos civitatis primores exagitare, pravorum in rempublicam consiliorum suspectos. Hæc enim Tullius : « Diphilus tragœdus in nostrum Pompeium petulanter invectus est :

> Nostra miseria tu es magnus [3],

millies coactus est dicere.

> Eamdem virtutem istam veniet tempus graviter gemes,

1. Cic., *pro Sext.*, 54.
2. *Ibid.*, 58.
3. Si Valerio Maximo (VI, 2) credimus, hunc versum Diphilus pronuntiavit « derectis in Pompeium magnum manibus » ; apparet autem e Ciceronis, quam citamus, epistola, Pompeium, quod Capuæ tum esset, his ludis non adfuisse.

cum totius theatri clamore dixit, itemque cetera. Nam et ejusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompei scripti esse videantur.

Si neque leges, neque mores cogunt,

et cetera magno cum fremitu et clamore sunt dicta [1]. » Diphilum fieri ex histrione, ut ita dicam, concionatorem non indignatus est populus, non indecens arbitratur Tullius; hoc idem nempe magnus ille Æsopus ausus est, atque laudatur, non quod suas partes in scena gesserit, sed quod professus sit quarum esset partium in republica [2].

His atque talibus turbamentis augebantur sane populi in tragœdiam studia; quæ vero in illis erat poetæ opera, quæ ex illis utilitas? Non quia enitebat versus, sed quia publicis affectibus congruentem sensum præbebat, plausibus et clamoribus excipiebatur. Imo Tullius non ægre patitur in Attii *Eurysacem* ab Æsopo transferri canticum ex Enniana *Andromacha*, quo clarius deploret « patrem pulsum, patriam afflictam, domum incensam atque eversam [3] ». Hos tumultus pariter concitabat ingrediens in caveam vir populo gratus vel invisus : plausus extemplo vel sibilus exoriebatur [4]. In gladia-

1. *Epist. ad Attic.*, II, 19.
2. Cic., *pro Sext.*, 56 : « Summus artifex et mehercule semper partium in republica tam quam in scena optimarum. »
3. *Ibid.*, 57.
4. Lucan., VII, 9 et seq. — Cic., *Epist. ad Attic.*, II, 19 : « Cæsar quum venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus. Huic ita plausum est, ut, salva republica, Pompeio plaudi solebat. Tulit Cæsar graviter. » — Virg., *Georg.*, II, 508 :

..... hunc plausus hiantem
Per cuneos, geminatus enim, plebisque patrumque,
Corripuit.

torio etiam munere haud secus ac scenicis in ludis hæc eadem eveniebant [1]. Si forte tumultus non causam, sed occasionem dabat tragœdia, quid hoc ad Eurysacem vel ad Brutum priorem? Ciceronem exsulem, Brutum Cæsaris interfectorem, Pompeium, vera omnia ac præsentia intuebantur spectatores, ficta et antiqua tragœdiarum argumenta prorsus obliviscebantur [2]. Neu miremur quanta indulgentia Tullius, licet romanæ tragœdiæ sit reverentissimus cultor, populum in theatro debacchantem effingat : hoc enim liberæ, ut credit, civitati ignoscit, neque his clamoribus audet stomachari quibus toties ipse salutatus sit, vir gloriæ vel inanissimæ tam avidus [3].

Atenim nonnulla etiam memorat tragœdiarum loca quæ populi admirationem nullo reipublicæ respectu commoverint. Esto : verum si testimonia ejus perpendamus, ex iis ipsis patebit quanta soleret esse vulgi de rebus scenicis ineptia.

In primis pulchra est ac celebris illa Pyladis atque Orestis apud Pacuvium æmulatio, quum uterque invicem sibi necem, amico salutem petat :

P. Ego sum Orestes.
O. Immo enim vero ego sum, inquam, Orestes.
Uterque.... Ambo ergo igitur simul una enicarier
Comprecamur [4].

Quod quum Pacuvius non ab Euripide, ut videtur,

1. Cic., *pro Sext.*, 54 : « Theatrales gladiatoriique consessus... » — *Epist. ad Attic.*, II, 19 : « Gladiatoribus qua dominus (Gabinius), qua advocati sibilis conscissi. »
2. Cic., *Philipp.* X, 4 : « Qui unquam aut ludi, aut dies, lætiores fuerunt, quam quum in singulis versibus populus romanus maximo clamore et plausu Bruti memoriam prosequebatur? Corpus aberat liberatoris, libertatis memoria aderat : in qua Bruti imago cerni videbatur. »
3. Cic., *Epist. ad Q. fr.*, II, 15.
4. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 123.

mutuatus sit, sed ipse tam egregie invenerit [1], merito id Tullius crebris laudibus exornavit. Laudem autem nullam majorem fore putavit, quam si populi admirationem, utpote inusitatam, testaretur : scilicet hoc mirabile est, hoc manifestum unici fulgoris in tragœdia signum, quum hic locus agatur, « vulgi atque imperitorum clamores excitari [2] ». Alias eamdem laudem iterat, nempe « totam caveam » his versibus succlamasse; et hoc insuper addit quod in hominibus poesis non prorsus inexpertis vix animadverteretur : « Stantes plaudebant in re ficta [3]. »

Veritatis porro magis appetentes fuisse videntur Romanorum animi, quam ut fictis argumentis atque ad unam animorum oblectationem compositis præcipuo favore indulgerent. Idcirco veros affectus ad rem publicam pertinentes tragœdiis ultro miscebant, et iis præsertim fabularum locis inhærebant, e quibus admonitionis quidquam excerperent. Tum scilicet commovebatur omnis populi consessus, id est cum viris una pueri et mulierculæ, quum in scenam quasi ex inferis evaderet aliquis et sedis illius arcana recluderet [4]. « Magno etiam plausu loquebatur, assentiente populo » Telamo Ennianus, quum de natura deorum audenter disputaret [5]. Inde tam

1. Boissier, *Le poète Attius*, p. 46.
2. Cic., *De fin.*, V, 22.
3. Cic., *De amic.*, 7.
4. Cic., *Tusc.*, I, 16. — Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 245 :

> Adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua,
> Per speluncas saxis structas asperis pendentibus
> Maxumis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.

5. Cic., *De div.*, II, 50. — Ribbeck, *ibid.*, p. 54 :

> Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,
> Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus :
> Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

multæ occurrunt apud romanos tragicos sententiæ seu de moribus, seu de divinatione et de iis quæcumque ad religionem attingunt : quam quidem consuetudinem non omnino novam usurpaverunt posterioris ætatis tragici, qui, sicut Seneca, facti sunt in poematis philosophiæ vel scientiæ cujuslibet professores. In hoc sane agnoscimus gentem illam plus æquo gravem atque « omnium utilitatium rapacem [1] ».

Quod si Tullius tragœdiam romanam nulla non laude exornat, cavendum est ne majore illam superbia quam fide jactaverit. Jactat, inquam, imo tuetur artem quæ tanta sit pars romanæ gloriæ, mox autem peritura esse videatur : neque aliam idem ob causam in toto *Bruto* enisus est Romanos oratores græcis æquiparare. Item apparet illum de tragœdia decertare magis quam veram opinionem simpliciter profiteri. « Quis, inquit, tam inimicus pæne nomini romano est, qui Ennii *Medeam* aut *Antiopam* Pacuvii spernat aut rejiciat? qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat... A quibus tantum dissentio ut, quum Sophocles vel optime scripserit *Electram*, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem [2]. » His non plebeculam objurgat, sed quosdam « inertissimæ segnitiæ aut fastidii delicatissimi » viros, qui jam priscorum poetarum veterno offendantur; non tamen in hanc malignitatem tam vehementer inveheretur, neque injuriæ quidquam inde nomini romano factum iri quereretur, si starent incolumes quorum gloriam suscipit ulcisci, aut si jam exsurgerent eorum æmulatores : quod neutrum contingit. Attio enim, quem tantum

1. Plin., *H. N.*, XXV, 2.
2. *De finib.*, I, 2; cf. *De opt. gen.*, 6.

vidit adolescens [1], mortuo, nullus exoritur poeta qui tragicorum veterum vestigiis insistat : subito videlicet exaruit tamdiu exundans flumen. Quæ vero priorum poetarum tragœdiæ nondum e scena decesserunt, quantum ipso agendi modo corrumpuntur! Aut quotusquisque est in tanta spectantium multitudine, qui vera earum merita sentiat, vanam scenici apparatus luxuriem doleat, nugatoriis indoctorum studiis obnitatur? Hæc omnia quum videret Tullius, aperte nonnunquam, subobscure sæpius conquestus est; denique hanc artem, ut fit, eo vividius fovet atque effusius laudat, quo vitiari ac periclitari certius perspexit.

1. Cic., *Brut.*, 28.

CAPUT II

DE TRAGICIS POETIS QUI BELLORUM CIVILIUM ET AUGUSTI PRINCIPIS TEMPORE FUERUNT.

§ 1. De Cæsare Strabone et de C. Titio.

Decessit Attius anno circiter ætatis octogesimo, urbis conditæ 664. Post hunc anni fere sexaginta prætereunt, grande spatium, prius quam tragœdia apud Romanos resurgat, si quidem ea vere tragœdia est, qualem modo conspeximus, ad scenam ferenda et populo destinata. Dicas in uno homine ipsam artem interemptam. Magnopere vigebant etiam tum scenici ludi, sed quibus celebrandis veteres tantum fabulæ suppeterent; nam præter mimorum, infimi ut rebantur operis, scriptores, nullus erat poeta qui studia sua populo prægustanda in theatro committeret. Possunt tamen aliqui, fateor, id ausi esse, qui posterorum e memoria exciderint; nulli rem bene successisse certum est; neque enim tale inceptum, si quid laudis meruisset, omisisset Tullius.

Accidit præterea ut C. Cæsar Strabo, celeberrimus orator, idem, vel Attio vivente, tragœdiarum scriptor

egregius, præmaturo exitu periret, tricesimo quarto ætatis anno per Marii proscriptionem occisus [1]. Fabulas ejus scimus scenæ mandatas esse [2]; quarum tres titulos, *Adrastum*, *Teuthrantem*, *Tecmessam*, duo etiam fragmenta novimus [3]. Pauca quidem hæc documenta sunt, si tam multa de prioribus respicias; fere copiosa, si eos qui secuti sunt consideres. Adde quod ejus haudquaquam vulgare ingenium unde definiamus, indicia satis certa apud Ciceronem occurrunt. Per eum nempe Romani hunc risum decentem didicerunt, a gravitate pariter atque a scurrilitate remotum; propria fuit insuper illi, quæ neque arduam sublimitatem affectaret, neque rursus humi serperet, « venustas »; has ille virtutes quum in orationibus, tum in tragœdiis, proferebat. In prioribus autem tragicis, si quid nimis, severitatem aliquanto rigidiorem et sermone graviore quasi impeditam reprehenderes; nihil igitur post eos magis opportunum tentari poterat, quam ut ad naturam simpliciorem tragœdia redigeretur; neque ad id magis quisquam idoneus, quam qui « res tragicas pæne comice, tristes remisse, severas hilare » tractare calleret [4]. Id in omni litterarum romanarum genere maxime tum desiderabatur, vigoris minus, elegantiæ plus, puritatis, veritatis ; id ipsum mox Catullus in carminibus sectabitur, id in eloquentia, qui se vere atticos esse gloriabuntur. Atticorum equidem in foro pariter ac theatro quasi primum fuisse Cæsarem illum suspicor; quod videtur confirmare levis hæc in eum Ciceronis censura : « Sunt ejus aliquot orationes,

1. Cic., *De Orat.*, III, 3.
2. Mar. Victor., *Ars gramm.*, I, 4; t. VI, p. 8 (Keil).
3. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 227.
4. Cic., *De Orat.*, III, 8.

ex quibus sicut ex ejusdem tragœdiis lenitas ejus sine nervis perspici potest[1]. »

Ob exitium tam immaturum vix Attio superfuit; Attius tamen antiquior. Itaque inter eos fuit, quæ plerumque accidit inter poetas ætate fere æquales at ingenio diversos, simultas[2]. Senex Attius juvene Cæsare, jam tamen florentissimo, usus est paulo superbius, « neque illi unquam in collegium poetarum venienti assurrexit; non majestatis ejus immemor » (Cæsar enim nobili genere oriundus) « sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem esse confideret[3]. » Senserat nempe Attius fore ut eximius ille juvenis, si viveret, novum tragœdiæ exemplar apud Romanos commendaret, antiquiora forsitan obscuraret.

Novam hanc autem, quam dicimus, viam ingressus jam erat alter poeta, Attio prorsus æqualis[4], necnon inter claros ætatis suæ oratores adnumeratus. Ille fuit Titius, cujus reliquiæ nullæ supersunt; nam *Protesilaum* aliquem hujus fuisse, nonnisi ex incertissimo fonte conjicitur[5]. Ut Cæsar, sic fuit Titius iisdem meritis in eloquentia, iisdem in tragœdia conspicuus : urbanitatem in utroque, in utroque leporem vel « argutias » laudat Tullius; idem etiam notat vitium, nam « parum tragicum » Titium fuisse auctor est : nimirum stylum ejus « atticum » dicit, litterarum græcarum licet ignorantis[6]. Fecit

1. *Brut.*, 48. Cf. *ibid.*, 82 : « (Calvus) nimium inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam *verum sanguinem* deperdebat. »
2. Scilicet inter Attium ipsum et senem Pacuvium (Gell., XIII, 2), inter nostrates Cornelium ac Racinium.
3. Val. Max., III, 7.
4. « Vir ætatis Lucilianæ. » Macr., *Saturn.*, III, 16.
5. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p, 116. — *Röm. Tragöd.*, p. 326.
6. Cic., *Brut.*, 45.

et ille tragœdiam comœdiæ propiorem, id est, ut opinor, magniloquentiam abdicavit; quem imitari studuisse dicitur togatarum excellens scriptor, Afranius; hic autem Plautinos sales in comœdia respuit, et atticus recte vocari possit, qui « togam Menandro convenientem » induisse vulgo dictus fuit [1].

Cæsaris igitur ac Titii tragœdia similis, ab antiquis vero diversa, scilicet lævissima arte temperata, paulo mollior, comœdiæ Terentianæ quasi contigua, in qua Cæsar alter ille dictator puritatem, lenitatem laudabat, vim ac virtutem comicam desiderabat. Attici erant : quid hoc est? Suimet ipsius erit interpres Tullius, qui hæc de Calvo, atticorum, ut aiebant, oratorum præstantissimo : « Ejus oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem... devorabatur [2]. » Idem nempe in theatro atque in concione factum est : si qui comici vel tragici poetæ modum non transgredi conati sunt, doctis et attente audientibus placuerunt, turbulentæ multitudinis ne audientiam quidem sunt adepti, ideoque imitatoribus caruerunt. « Tragicus poeta admodum bonus habitus est », dicit aliquis de Cæsare [3]; sed ita judicatus est ab iis tantum, qui de litteris ferre judicium valerent : eadem sors et Terentio evenerat. At priscis tantum tragicis usque contigit honoratis in scena permanere, seu more majorum qui tantum pollebat, seu quia vere nescio quid romani redolebant, ingenio scilicet magis quam arte freti, ad intellectum plurimorum propiores, paucioribus etiam eruditis venerabiles et quasi pia mente observati.

1. Hor., *Epist.*, II, 57.
2. *Brut.*, 82.
3. Ascon. ad Cic., *pro Scauro;* t. V, pars II, p. 24 (Orelli).

§ 2. De Julio Cæsare, Augusto, Q. Tullio, L. Balbo.

Ex quo poetis tragicis erepta spes est favoris popularis in theatro assequendi, non ideo sublatum est hoc poematum genus, sed ad vanum ludibrium decidit et quasi intra privatos parietes migravit, quum nulli in eo jam operarentur, nisi quibus cupido esset experiendi suam in pangendis versibus facilitatem ac familiarium paucissimis ostentandi. Desævire jam cœperat apud litteratos viros, ut ait Horatius, « mala scabies, aut morbus regius, aut fanaticus error [1] », de quo sæpius idem jocatur :

> Mutavit mentem populus levis et calet uno
> Scribendi studio ; pueri patresque severi
> Fronde comas vincti cenant et carmina dictant.
> . . . .
> Navim agere ignarus navis timet, abrotonum ægro
> Non audet, nisi qui didicit, dare ; quod medicorum est,
> Promittunt medici ; tractant fabrilia fabri :
> Scribimus indocti doctique poemata passim [2].

Tragœdias igitur ut quidvis aliud poema excudebant; alii græca opera ad verbum convertebant, alii liberius imitabantur; alii totum opus ponebant, scenas aliquot exarabant alii : utique nil erat aliud quam scolaris exercitatio vel poeticus lusus. Quam multorum fuerint hæ lucubrationes, quis unquam supputaverit ? Paucos tantum novimus, aliis de rebus insignes.

Inter quos non omittendus Tullius, qui quidem græcorum tragicorum fragmenta in latinum sermonem permulta transtulit, hoc ornamento disputationes suas, si

1. *A. P.*, 453.
2. *Epist.*, II, 1, 108.

fors occurreret, illustraturus [1]. Neque ille mediocri felicitate Æschylei Promethei questus expressit [2], Attianis e fragmentis haud ita pridem detractos, ac vero auctori restitutos.

Cæsar ille dictator, dum puer erat et adolescentulus, nonnulla poëtico stylo scripserat, inter quæ tragœdiam *Œdipodem;* quos omnes libellos vetuit Augustus publicari [3], profecto quia timebat ne tanti viri famæ quidquam detraherent.

Augustus quoque ab iisdem exercitationibus non abstinuerat : fecerat enim *Siciliam* hexametris versibus, et *Epigrammata* « quæ fere balnei tempore meditabatur » ; item ut se oblectaret « tragœdiam *Ajacem* magno impetu exorsus, non succedente stylo abolevit. » De qua quum a L. Vario, clarissimo poeta, interrogaretur, non inficete respondit « in spongiam incubuisse [4] ».

A Q. Tullio, M. fratre, tragœdias esse factas, quænam ad nos fama pervenisset, ni Marcus in epistolis, eas commemorasset? De quibus quidem æstimationem nobis suggerit infimam. Epicus etiam poeta Quintus fuit [5], minimi, ut videtur, pretii. Nam vide quas laudes poeticis illius studiis decernat frater : « Illud (sine ulla ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi [6]. » Quis non sentit quantæ sit id ipsum ironiæ, crimen ironiæ deprecari, quum

1. Cic,, *Tusc.*, II, 11.
2. Id., *ibid.*, II, 10.
3. Suet., *Cæs.*, 56.
4. Id., *Oct.*, 85; Macrob., *Saturn.*, II, 4, 2.
5. Schol. Bob., ad Cic. *pro Archia*, p. 354 (Orelli).
6. *Epist. ad Q. fr.*, III, 4.

tantula sit laus, poetica scilicet M. Tullio præstare ?

Poetas utriusque linguæ Quintus assidue coluit[1]. Sophoclem ante omnes[2], quem verisimile est ab eo electum in pangendis tragœdiis ducem. His indulgere Quintum constanter solitum facile crediderim; sed tum maxime et quasi crimine flagranti sontem deprehendimus, quum anno 700 Cæsaris legatus in Britannia militaret. Nam in hac expeditione se quatuor tragœdias intra sedecim dies absolvisse apud fratrem gloriabatur; quod ille inceptum, ut qui litteras in ludibrium verti non sineret, acerrima castigatione corripuit[3]. Illarum tragœdiarum quatuor tituli non satis certo apud Ciceronem leguntur; conjectura tamen restituuntur *Erigona*, *Electra*, *Troïlus*, denique Ἀχαιῶν σύνδειπνοι; quatuor enim sunt apud Sophoclem talia fabularum nomina, satyricæ novissimum. Quæcumque autem sint earum nomina vel argumenta, qua de re viri docti multa disputare pretium operæ censuerunt[4], nobis hoc sat est constituere, nunquam eas in scena spectari potuisse, sed ad hoc unum fuisse conditas, ut tædia castrensis vitæ levaret Quintus et familiaribus insanam poetice scribendi velocitatem ubertatemque proferret.

Quem intuens, recordor alterum quemdam paulo posteriorem, alioqui simillimum. Is est Titius Septimius quem cum *studiosa* Tiberii Cæsaris *cohorte* in Asia militantem, in operibus autem arduis, lyrica vel tragica poesi, juveniliter audentem, urbane derisit Horatius :

1. *Ibid.* : « De biliotheca tua græca supplenda, libris commutandis, latinis comparandis... » — *De divin.*, I, passim.
2. *De divin.*, I, 25, ubi Quintus : « Poetam divinum Sophoclem. » — *De finib.*, V, 1, ubi idem : « Sophocles... quem scis quam admirer quamque eo delecter. »
3. *Epist. ad Q. fr.*, III, 6.
4. Welcker, *Griesch. Trag.*, p. 1366. — Ribbeck, *Röm. Trag.*, p. 618-624.

Quid Titius, romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et fontes ausus apertos.
Ut valet? Ut meminit nostri? Fidibusne latinis
Thebanos aptare modos studet auspice musa
An tragica desaevit et ampullatur in arte [1]?

Tecta quidem ironia percontatur Horatius juvenem qui viribus majora tentet, confidatque se, dummodo Græcorum vestigiis insistat, posse per lusum nec sine gloria rem tantæ molis peragere. Haud felicius illi quam Ciceronis fratri successit inceptum, nam ex Horatii scholiastis accepimus Titii libros nullius momenti fuisse, imo aliquanto postea pessumdatos [2].

In eodem ordine collocandus ille L. Cornelius Balbus quem ideo præsertim scenæ Romanorum historia complectitur, quod anno 741 theatrum Romæ dedicavit, in eoque quatuor columnas ex onyche statuit, quæ sunt « pro miraculo insigni » habitæ [3]. Sumptuosi magis hoc viri quam ingeniosi; nec sanctiorem meruit laudem ea, quam de se vanissimus scripsit scenæque mandavit, prætexta. Titulus fuit, ut videtur, *Iter*, quoniam sic inscriptum fecerat Cæsar, non tragicum, sed epicum carmen, ad memoriam sui in Hispaniam itineris [4]; nam in Balbo ridiculam Cæsaris utique imitandi libidinem notat Asinius Pollio, et hoc addit : « Illa vero jam ne Cæsaris quidem exemplo : quod ludis prætextam, de suo itinere ad L. Lentulum sollicitandum, posuit. Et quidem dum ageretur,

1. *Epist.*, I, 3, 9.
2. Acro et Schol. Cruq. ad Hor. l. c. — *De Titio Septimio poeta* (Weichert, *Poet. latin.*, etc.).
3. Plin., *H. N.*, XXXVI, 60. — Suet., *Oct.*, 29. — Dio Cass., LIV, 25.
4. Suet., *Cæs.*, 56.

flevit, memoria rerum gestarum commotus[1]. » In quibus Pollionis verbis eo plus salis inest, quod Balbus in illo ad Lentulum itinere, ad id suscepto ut virum consulem a Pompeio ad Cæsarem averteret, nil egerat[2]. Hoc tamen prætexta celebrabat, hac rerum tam male gestarum imagine conspecta flebat vir gloriosus ac sui mirator. Adde quod ludicrum illud non Romæ instruxerat, sed Gadibus, in patria videlicet sua, apud barbaram omnino gentem et adhuc ad ludos scenicos rudem[3]. Mox autem, quum eruditorum etiam virorum suffragia concupisceret, prætextæ suæ libellos disperserat; quam Asinius quum legisset, jocose Ciceroni suadebat ut a Cornelio Gallo posceret. Neque jocandi locus deerat, nam apparet, inter tam multos qui invita Minerva tragœdiæ indulserunt, ceteris Balbum impudentia longe anteire.

§ 3. De Asinio Pollione, Cassio Parmensi, Santra.

Nunc ad opera magis memorabilia veniamus : nam Augusti tempore, id est non solum eo principe, sed jam inter Cæsaris necem et victoriam Actiacam, laus tragici poematis quasi redintegratur. Quod quidem, ut pristinum decus non prorsus reparat, ita in romanarum litterarum ætate felicissima stat honoratum, si quidem tragœdiarum auctores nobis occurrent viri inter æquales eminentissimi, Asinius Pollio, L. Varius, Ovidius, multique insuper minore fama florentes.

1. Epist., ad Cic. (*Epist. ad fam.*, X, 32).
2. Cic., *Epist. ad Attic.*, IX, 6.
3. Philostr., *Apoll.*, V, 8, ubi de Gaditanis agitur, Neronis tempore tragœdum spectantibus : οὐδὲ γὰρ τραγῳδίας ποτ' ἢ κιθαρῳδίας θεαταὶ ἐγεγόνεσαν.

Pollio Variusque ætate pares fuerunt, posterior Ovidius. Disciplina vero et ingenio diversissimi exstiterunt : veterum enim imitator Pollio; Varius cum Virgilio atque Horatio hujus ævi quasi maturum vigorem effinxit; Ovidius denique venustatem potius quam veram pulchritudinem sectatus est, atque a declamatoribus institutus venturo sæculo quam anteriori propior videtur. Quænam fuerint hac tempestate tragœdiæ vices commodius erit explicare, quum recognoscemus quid de hoc senserit poeticarum contentionum illis temporibus summus arbiter Horatius. Nunc tantum in animo est singulorum poetarum reliquias perlustrare, propriam effigiem adumbrare, quis denique fuerit cuique carminum edendorum modus definire; namque de tragœdiis id potissimum ambigi cœpit, in scenis actæ an recitatæ in auditoriis fuerint, quarum utrumque genus discernere, ut in consuetudinum diversarum, alterius obsolescentis, exorientis alterius, concursu, aliquando perarduum est.

Asinio Pollioni, quod non multis veterum, evenit, ut, quum rempublicam gessisset et honoribus esset perfunctus, juvenis adhuc, nempe tricesimo quinto circiter ætatis anno, in privatam vitam confugeret seque totum litteris traderet : incipiente enim inter Antonium Octavianumque dissidio, neutri se addicere voluerat. Nec sine fastu in otium secessit, nam e manubiis, quas Parthinis novissime debellatis retulerat, publicam bibliothecam primus Romæ instituit [1]. Tempus erat quo litteræ, post civiles discordias, ut fit, recolerentur et juvenum ingenia invitarent. His Mæcenas aderat fautor et amicus; jam

1. Plin., *H. N.*, VII, 30; XXXV, 2.

Virgilius, Horatius, Varius, *per vivorum ora volitabant.* Eorumdem studiorum socius Pollio, ut qui propter laudem aliunde partam litteras ipsas commendaret, ingenti juventutis illius alacritate consalutatus est.

Poeticam illius laudem, quæ nondum enotuerat, primus omnium Virgilius, ob recuperatum agellum alioqui gratus, prænuntius, ut ita dicam, celebravit. Nondum enim Pollio rem publicam aperte deseruerat, quum in ecloga tertia (anno 712) hoc est subobscure vulgatum :

> Pollio et ipse facit nova carmina [1].

Quæ sint ea carmina neque sciunt homines, neque Virgilius, eorum quasi conscius, audet palam profiteri; hoc unum dicit : nova carmina fieri a Pollione, miranda scilicet, et quorum magna debeat esse exspectatio. Quæ nihil aliud nisi tragœdias fuisse, verisimile est; neque enim generis alius carmina fecisse perhibetur Pollio; quas duobus post annis clarius significabit Virgilius :

> En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
> Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno [2].

Nondum autem editas significat ; sin aliter, cur ille timere se simularet ne laudanti fides abesset? Neque id mirum, quum adhuc in Illyria militaret Pollio [3], intimos tantum amicos rescivisse quanti momenti poemata conscripsisset.

His deinde laudatorem invenimus Horatium, serius, ut videtur, et paulo parcius in Pollionis amicitiam recep-

1. *Ecl.*, III, 86.
2. *Ibid.*, VIII, 9.
3. *Ibid.*, 6 et seq.

tum. At quum emissa est decima libri prioris satira [1], tum profecto tragœdiarum earum nonnullæ prolatæ fuerant; itaque ut de re satis jam cognita vulgoque laudata, hoc breviter Horatius :

Pollio regum
Facta canit pede ter percusso [2],

et auctorem juxta præstantissimos hujus ævi poetas, Fundanium, Virgilium, Varium, adscribit.

De titulis earum nil omnino novimus; nullus etiam versus temporum injuriam supergressus est. De his quidquid constat, illud est : plures fuere, Pacuvii et Attii veternum redolebant siccæ plus æquo ac duræ [3], nec tandem insignes adeo habitæ sunt ut Pollionem censeret Quintilianus Vario atque Ovidio æquiparandum [4].

Operæ denique pretium est inquirere quemadmodum editæ fuerint, de quo inter criticos non convenit [5]. In hoc Horatii loco interpretando tota lis est :

Paullum severæ musa tragœdiæ
Desit *theatris* : mox ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno [6].

Hæc est sententiæ summa : « Desine paulisper tragœdias scribere, dum belli civilis historiam condis; ad illas deinde reverteris. » At non satis intelligitur, utris ibi de *theatris* agatur : de scenis an de auditoriis; nam

1. Quam referunt ad ann. 718 eruditorum alii, alii ad 723.
2. *Sat.*, I, 10, 42.
3. *Dial. de orat.*, 20, 21.
4. Quintil., X, 1, 98.
5. Scenæ mandatas fuisse novissime opinatus est F. A. Aulard (*De C. Asinii Pollionis vita et scriptis*, 1877). — Hoc negat Weichert (*De L. Vario poeta*; excursus III, de C. Asinio Pollione tragœdiarum scriptore). — Stat incertus Welcker (*Griesch. Trag.*, p. 1423).
6. *Od.*, II, 1, 9.

de utrisque eadem vox apud ipsum Horatium valet [1].

Ut auditoria hic designata esse censeantur, suadent notissima Senecæ de Pollione verba : « Primus omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit [2]. » Quum autem hunc morem, cujus auctor est Pollio, pravissimum esse Horatius existimaverit et postea declaraverit [3], non credam virum tam ingenuæ indolis ac linguæ rem in Pollione laudavisse quam in aliis reprehenderet, neque rursus in aliis reprehendisse quam in Pollione laudasset.

Neque tamen adducar ut ex hoc uno indicio concludam scenæ mandatas fuisse viri tragœdias, quem nihil tam refugisse constat quam multitudinis judicia. Ille enim « nunquam admissa multitudine declamavit...; et inde est, ait Seneca [4], quod Labienus, homo mentis quam linguæ amarioris, dicit : « Illas triumphalis senex ἀκροάσεις « suas nunquam populo commisit » : sive quia parum in illis habuit fiduciam, sive, quod magis crediderim, tantus orator inferius id opus ingenio suo duxit. Et exerceri quidem illo volebat, gloriari fastidiebat. » Quis autem credet tam superbæ indolis virum, qui et suum audito-

1. *Epist.*, II, 1, 201 :

Nam quæ pervincere voces
Evaluere sonum referunt quem nostra *theatra?*

Et multifariam itidem. Sensus autem alter est in :

..... Spissis indigna *theatris*
Scripta pudet recitare...

2. *Excerpt. Controv.*, IV, præf.

3. *Epist.*, I, 19, 39 :

Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.
.... Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare et nugis addere pondus.

4. *Excerpt. Controv.*, l. c.

rium non nisi selectissimo cuique introire concederet, in theatro rudis et turbulenti consessus rumorem ac fastidia ultro passum esse ? Qui si recitationum inventor atque auctor exstitit, hoc unum sibi proposuit, ut tragœdias proferre posset, sed ita tamen proferre, ut nullos alios judices adhiberet, quam quibus studeret placere.

At enim quid ait Horatius? Nempe de *theatris* per metaphoram loquitur, item de *cothurno*, ut dramatica poemata significet. Scilicet eadem usus licentia Virgilius, cujus verba Horatius reminiscitur ac pæne refert, eas tragœdias *Sophocleo cothurno* dignas fore prædixerat [1].

Num « grande munus », ut suadebat Horatius, repetierit Pollio, maxime dubium : qui tantum historiæ ac rhetoricæ postea deditus apparet. Quamobrem suspicatus est aliquis eum cothurni laudem abdicavisse, postquam Varium in hac præstare sensisset [2].

Quæ si conjectura probatur, tragœdias scribere Pollio citra principatum Augusti destitit. Itaque Cassium Parmensem et Santram hoc loco nominabimus, qui sint iisdem temporis finibus conclusi : nam Cassius Parmensis paulo post Actiacum pugnam occisus est [3], Santra quoque videtur non ultra vixisse [4].

Cassio Parmensi, cujus *opuscula* commendat Horatius,

1. Hanc sermonis licentiam frequentissimam exinde fieri videbimus; sic Ovidius, qui tamen, ut infra statuemus, tragœdiam non agendam præbuit :

> Et dedimus (*inquit*) scriptum regale cothurnis
> Quæque gravis debet verba cothurnus habet.
> (*Trist.*, II, 553).

2. Welcker, *ibid.*, p. 1426.
3. Val. Max., I, 7.
4. Vide Ribbeck, *Römisch. Trag.*, p. 616.

elegias nempe Tibulli carminibus haud absimiles [1], duo tragœdiarum fragmenta fuerant a recentioribus editoribus assignata, donec novissime critici prave lectum esse Varronem, qui hæc refert, perciperent, et alterum Attio, alterum incerto auctori tribuerent [2]. Cassii illius multas fuisse tragœdias, inter quas *Thyestem*, Porphyrio et Cruquianus commentator asserunt; his vero non consentit Acro, qui tantum illius elegias et epigrammata commemorat; atque illi Q. Varium, Cassi interfectorem, a L. Vario tragœdiarum auctore, Cassium Parmensem a Cassio Etrusco [3] male discernunt; ut a testimoniis tam discordibus nihil omnino liceat concludere [4].

Santra grammaticus fuit clarissimus; qui *de antiquitate verborum* præcipuum opus conscripsit, et veterum poetarum sermonem doctissime recognoverat [5]. Ejus etiam poema, *Nuptias Bacchi*, bis citavit Nonius, duoque ex eo servavit fragmenta [6]. Tragicum id fuisse, si metrum respicias, existimabis; novum an aliunde sumptum, actum an recitatum, nullo ex documento constituas. Si vero notaveris vetustum illud verbum *expergit*, si memineris quam sit auctor in antiquis poetis versatus, Pollioni proximum Santram fuisse succurret, id est fidissimum pristinæ tragœdiæ imitatorem, doctrinæ potius profe-

1. Hor., *Epist.*, I, 4, 3.
2. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 250 et 285.
3. De quo Horat., *Sat.*, I, 10, 61.
4. Vide Weichert, *De Cassio Parmensi*, § 7-15.
5. Teuffel, *Gesch. der röm. Litt.*, p. 414.
6. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 228 :

I. ..... ita oppletum sono
Furenter omni a parte bacchatur nemus.

II. ..... ex templo excita evadit pia
Genetrix et omnis vocis expergit sono.

rendæ quam vulgi animos oblectandi cupidum, fabulam denique eruditis accurate legendam, non coram populo agendam, procudisse [1].

§ 4. De L. Vario, Ovidio et aliis ætatis ejusdem minoribus tragicis.

Eo tamen tempore, scilicet jam ante Augusti principatum, in poetis aliquot comicis ac tragicis redintegratum fuerat magna tentandi studium, hoc est fabulas theatro, cui natæ forent, committendi. Horatius enim in eadem satira, qua primum Pollionis tragœdias commendat, semet pedestri musæ addictum his verbis confitetur [2] :

> Hæc ego ludo
> Quæ neque in æde sonent certantia judice Tarpa,
> Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

Recte necne scholiasta Cruquianus Tarpæ ac quinque virorum collegio munus tribuat fabulas, ante quam scenæ committerentur, prælegendi, et ni probassent excludendi, contendere non ausim [3] : hoc saltem ex ipsis Horatii versibus compertum est, nonnullos tum esse poetas (quos quidem magis noster miratur quam eis invidet), qui veterum instar in scenam accedere velint ac sæpius revocari.

Quod et Augusto principe duravisse, etsi singula dees-

1. Ribbeck, *Römisch. Trag.*, p, 616-617.
2. *Sat.*, I, 10, 37.
3. Vide Weichert, *Poet. latin.*, etc. : De Furio Bibaculo poeta, adnot. III. — Scholiastam errasse putat vir criticus, et Ciceronis potissimum epistolam (*Ad fam.*, VII, 1) respexisse, de ludis a Pompeio in theatri dedicationem instructis : « Nobis autem erant ea perpetienda, quæ scilicet Sp. Mæcius probavisset »; quod munus Mæcio neque publicum neque stabile fuisse; illum ideo ab Horatio non ut agendarum fabularum censorem, sed ut poeticorum certaminum judicem, alias ut optimum poetarum admonitorem (*A. P.*, 387), induci.

sent vestigia, satis in universum ostenderet Horatii præclara ad principem epistola, cujus hæc summa est, ut ille poetas adjuvet vulgi imperitia non territos ac « ventoso gloriæ curru » in scenam ascendere audentes, ut timidos certe vel immerito neglectos reficiat atque consoletur. Nec sane defuit clientela cujus causam Horatius tam vivide tueretur.

Quorum vere scenicorum poetarum maximus haud ita pridem nobis enotuit, reperta in antiquo codice Variani *Thyestis* διδασκαλίᾳ [1]; ludis nempe Actiacis (anno 727) primum editi, nisi forsan, jam antea spectatus, propter excellentiam fuerit in tantis feriis repositus.

Nulla Varii fabula præter *Thyestem* nominatim nota est; plures tamen exstitisse ex hoc ipso colligimus, quod *tragœdiarum* auctor ab antiquis non semel ille est vocatus [2]. Horatius autem, postquam sic Agrippam allocutus est :

> Scriberis Vario fortis et hostium
> Victor,

hoc subjicit :

> Nos... neque hæc dicere
> . . . .
> *Nec sævam Pelopis domum*
> Conamur tenues grandia [3];

quod a Cruquiano scholiasta his explicatur : « Notæ sunt *fabulæ* de Tantali genere, ex quo Pelops ortus est :

1. J. Quicherat, *Bibl. de l'Ecole des Chartes* (1839), p. 52. Ex codice Bibl. regiæ gall. (VIII sæculi) :

> Incipit Thuestes Varii
> Lucius Varius, cognomento Rufus tragœdia[m]
> magna cura absolut[am], post Actiacam victoriam,
> Augusto [reduce], ludis ejus, in scena edidit.
> Pro qua fabula sestertium deciens accepit.

2. Macrob., *Saturn.*, II, 4, 2. — Porphyr., ad Hor., Od., I, 6, 8.
3. *Od.*, I, 6, 8.

deinde Atreus et Thyestes, postea Orestes : quorum scelera in tragœdia (sc. in tragici generis poematis) descripta sunt a Vario stylo sublimi. » Inde conjicere est plures de domo Pelopis fabulas a Vario scriptas fuisse, *Thyestem* inter alias maxime eximiam ; ac nescio an hoc confirmet altera antiqui grammatici notula : « ... Varium cujus exstat *Thyestes* tragœdia *omnibus* (sc. ejus) *præferenda*[1]. »

Serus, quidquid id est, ad tragœdiam accessit, neque multum est in ea commoratus : epico enim carmine in Julii Cæsaris laudem conscripto famam auspicatus erat, epico itidem Augusti panegyrico cumulavit. Itaque paucis annis ante quam *Thyestes* agatur, videmus ab Horatio quasi tragœdiæ principem salutatum Pollionem, epici carminis Varium [2] ; qui vel postea nil tantum quam « Mæonii carminis ales » vocari studuit.

Imo illum credam neque sua sponte tragœdias facere aggressum esse, neque rursus tam prospero conatu incitatum ut in hoc opere lubrico diu versaretur; tragœdiam autem adoriendo scenæque tradendo Mæcenatis tantum hortationibus obtemperavisse. Mæcenatem enim constat poetis quibus familiariter uteretur « haud mollia jussa [3] » interdum injunxisse ; qui Virgilium tantum non abnuentem ut Georgica, Horatium ut lyrica scriberet, impulerit : item

> Maecenas tragico quatientem pulpita gressu
> Evexit Varium [4].

1. Philargyrius, ad Virg. *Ecl.* VIII, 10.
2. *Sat.*, I, 10, 43.
3. Virg., *Georg.*, III, 40.
4. *Carm. ad Calp. Pis.*, 226. — Cf. Mart., VIII, 55; 60, 76 :

> Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.
> . . . .
> Quid Varios Marsosque loquar?.....

Quod nimirum opus, obedientius susceptum quam libentius, tanta mercede, sestertium decies, remuneratus est imperator. Quum tamen justum obsequium præsidi suo poeta detulisset, salva deinde reverentia idem quod Horatius incitanti respondere potuit :

> Non eadem est ætas, non mens [1]...,

quippe quem non alliceret obeunda in theatris indoctorum inconstantia. Neque ulla, nisi hæc, causa videtur fuisse, cur successum semel tam felicem mollissime urserit.

Plures sub Augusto præterea feruntur tragœdiarum scriptores, quorum maximos Ovidius nominavit in ea quam fecit exsul ac mœrens poetarum æqualium recensione. Hi sunt Gracchus, juxta Varium memoratus [2], et Turranius, Melisso, trabeatarum comœdiarum creatori, oppositus [3]. De Turranio nihil ultra nomen scimus. Gracchi vero quatuor brevissima fragmenta supersunt, styli quidem haud inconcinni, et tragœdiarum tituli tres : *Atalanta, Peliadœ, Thyestes* [4].

Inferiore loco subjungendi Fuscus Aristius, amicus Horatii, qui utrum comicis an tragicis adscribendus sit, male certum est, dissentientibus Acrone et Porphyrione [5],

1. *Epist.*, I, 1, 4.
2. Ovid., *Ex Ponto*, IV, 16, 31 :

> Cum Varius Gracchusque darent fera dicta tyrannis.

3. *Ibid.*, 29 :

> Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis,
> Et tua cum socco, Musa, Melisse, levi.

4. Ribbeck, *Trag., fragm.*, p. 230.
5. Ad Hor., *Epist.*, I, 10.

nisi animadvertamus a posterioris ævi grammaticis nonnunquam dici comœdiam quæ proprie tragœdia sit [1]; et Surdinus aliquis, Cestii Pii declamatoris discipulus, « ingeniosus adolescens, a quo græcæ fabulæ eleganter in sermonem latinum conversæ sunt [2] ». Fortuito magis item quam ob meritum ab oblivione servatus est Pisonum ille major, quem *Arte Poetica* Horatius admonuit : scripsit enim, Acrone teste [3], tragœdias ; quod certe ex ipsa Horatii epistola bene compertum est. At quam multi in tanta « litterarum intemperantia » præter illos exstiterunt, qui non Varium æmularentur, sed potius Q. Tullii et aliorum quos supra memoravimus instar, « rem potenter legere » non curarent, atque in tragœdiis ingenium suum quasi privatim et occulto experirentur! Omnibus igitur illi præter amicissimum quemque ignoti et ignorandi.

Non ita de Pupio, qui tragicum poema novitate aliqua recreare tentavit ac plenam theatri lucem non reformidavit. Non « severitatem » ille de more sectatus est, sed voluit spectantibus lacrymas elicere. Fuisse hoc propositum artis antiquæ degener, fateor, et quod Horatius merito illuserit [4]; inceptum tamen, qualecumque est, assecutus est Pupius, ut e versibus iis non illepidis, seu ipsius seu derisoris alicujus, apparet :

1. Cf. Boissier, *Le poète Attius*, p. 109.

2. Senec., *Suas.*, VII. — Cestius Pius rhetor Augusto imperante latine Romæ docuit.

3. Ad *A. P.*, 386.

4. Hor., *Epist.*, I, 1, 67 :

> ....rem facias, rem,
> Si possis recte, si non, quocumque modo rem,
> Ut propius spectes lacrymosa poemata Pupi.

Flebunt amici et bene noti mortem meam,
Nam populus in me vivo lacrymavit satis [1].

De Turranio Gracchoque non satis certo constitui potest an spectandas tragœdias præbuerint. Nam quum eo tempore tragœdiarum recitationes, a Pollione institutæ, durarent et insequente sæculo, novi generis spectaculis etiam atque etiam in scena prævalentibus, perstiterint, possunt illi magnam sibi tragicorum laudem comparavisse, at litteratis solum viris intra privatum auditorium placuisse. Atenim Gracchum Vario conjungit Ovidius, Turranium Melisso. Quid hoc? Varii quoque *Thyestes* et Ovidii *Medea* simul plerumque enumerantur ut perfectissimæ hujus ævi tragœdiæ : « Jam Varii *Thyestes*, ait Quintilianus, cuilibet græcarum comparari potest; Ovidii *Medea* videtur mihi ostendere, quantum ille vir præstare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset [2] »; eas quoque in *Oratorum Dialogo* Maternus communi laude amplectitur : « Nec ullus Asinii aut Messalæ liber tam illustris est quam *Medea* Ovidii aut Varii *Thyestes* [3]. » Quum autem certissimo indicio doceamur *Thyestem* in scenam evectum fuisse, contra ab ipso Ovidio monemur tragœdiæ suæ, quamvis summam admirationem concitaverit, nunquam hoc obtigisse; sic enim exsul ille nimiam sui claritudinem excusat :

Nil equidem feci... tu scis hoc ipse... theatris,
Musa nec in plausus ambitiosa mea est [4].

1. Acro, ad Hor. l. c.
2. X, 1, 98.
3. *Dial. or.*, 12.
4. *Trist.*, V, 7, 27. — Cf. Boissier, *Journal de l'Inst. publ.*, 1861, p. 438.

Quod ad Ovidium præsertim attinet, quamvis Augusto principe floruerit, a Vario tamen ætate longe distat : puer admodum erat quum *Thyestes* editus est, neque pauciores inde quam duodecim vel quindecim anni intercesserunt, donec adolescens in tragœdia versaretur et irritam de se quasi invitus moveret exspectationem. Nam postquam huic poesi graviori « quamlibet aptum » se esse ostendisset, ad « teneros modos » deflexit, amores cecinit, et severæ Melpomenæ valedixit [1]; ad quam saltem se reversurum olim pollicitus [2], non rediit. Tragœdiam unam absolverat, e qua nobis duo versus exstant quam pulcherrimi; plures, si fides illi conceditur, ætate maturiore exsequi destinabat; sed in leviorem poesim, cui tam idoneus indulserat, semel delapsus, non jam tragicos spiritus concepit. Præter *Medeam* illam, tam celebrem, nulla illius tragœdia vulgata est [3].

Nec mirum hoc apud poetam qui « ingenio suo imperare » nequiverit et cum sæculo suo admodum consenserit. Qui potuisset in tragœdiæ tædium ille non induci, qui eadem in theatro atque æquales fugeret, eadem foveret.

1. *Amor.*, II, 1, 3 :

Procul hinc, procul este, severa;
Non estis teneris apta, theatra, modis.

Cf. *Ibid.*, 11 et seq., 29 et seq.
Amor., II, 18, 13 :

Sceptra tamen sumpsi curaque tragœdia nostra
Crevit, et huic operi quamlibet aptus eram.
Risit Amor pallamque meam pictosque cothurnos
Sceptraque privata tam cito rapta manu.
Hinc quoque me dominæ numen deduxit iniquæ
Deque cothurnato vate triumphat Amor.

2. *Amor.*, III, 1, 67 :

Exiguum vati concede, Tragœdia, tempus.

3. Senec, *Suas.*, III.

antiquas fabulas, ut in *Metamorphoseon* poemate videmus, sale hodierno condiret, pro gravibus lasciva sectaretur, non molles tantum ac teneros affectus sed impudicos etiam spiraret? Non veræ ac veteri tragœdiæ natus erat Ovidius, sed illi tantum quæ in saltatoribus cantoribusque dignos haberet interpretes.

Nunc ut omnem quæ supra est recensionem breviter complectamur, satis multi sub Augusto fuerunt, etiam aliquot egregii, qui tragœdiam attigerint; verum his omnibus defuit, quæ tanta fuerat in antiquis, ubertas. Dicas eorum præstantissimos, quasi coactos et reverentiæ causa, quid in eo genere valeant, testari, mox autem ab ingrato opere recedere quod vilioribus tractandum derelinquant: quantulum enim superest illius pretium, quum privatos intra parietes plerumque recondatur et necessario decore exuatur? Tragœdiæ videlicet stat honos, sed is fere quem Homero concessum a Platone videmus: ut floribus coronatur, ita tamen ejicitur e civitate.

CAPUT III

DE HORATIO ROMANÆ TRAGŒDIÆ CENSORE.

Horatium non semel testem advocavimus, de tragœdia romana hæc quidem asserentem quæ satiræ propiora esse quam integræ fidei viderentur. Neque tamen ob inanem maledicendi voluptatem in corruptam tragœdiam invehitur, sed quoniam velit eam emendare. Quam obtrectationis suspicionem, vide ut effugere studeat :

Ac ne forte putes me, quæ facere ipse recusem,
Quum recte tractent alii, laudare maligne :
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, vanis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis [1].

Poeta nempe poesis causam amplectitur, imo, ut ita dicam, medicus ægrotantis. Licet enim ille summa modestia semet ipsum soleat non poetis adnumerare, critici saltem partes sibi vindicat, qui, quum alii scribant, nil ipse scribens, suum poetas munus et officium edoceat [2].

1. *Epist.*, II, 1, 207.
2. *A. P.*, 304 :

..... fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Quæ vero de litteris agit, non suo tantum nomine profitetur, sed est *novorum* poetarum quasi signifer. Horum legionem pluribus locis recognovit [1], inter quos duo sunt quos singulariter amat et in ultimis usque scriptis commendat, quasi gemellos, Virgilius nempe ac Varius [2]. At quum tragicus poeta Varius fuerit, pro certo teneamus amici causam Horatium tueri, quotiescumque tragœdiæ aut incommoda declarat aut emendatiorem normam describit; nec philosophari magis quam veræ præsentisque dimicationis fieri participem.

Periclitanti adeo tragœdiæ ut propugnaret novissima fere opera excudit, epistolam scilicet libri secundi primam ad Augustum et illam ad Pisones tertiam, quæ vulgo *Ars Poetica* dicitur : nam in altera per circuitus varios huc demum tendit, uti calamitatem tragœdiæ imminentem et perversum vulgi de illa judicium denuntiet; in altera, ut Pisonum majorem, tragœdias condere parantem, difficultatum admoneat quas omnis in universum poesis ferat, tragica maxime, eique perfectum quoddam specimen adumbret, in quo ille defixus aut culpam effugiat aut viribus impar propositum abdicet. Meminerimus autem, quæ in epistolis Horatius uni mandare videatur, ea vere ad universos aut saltem ad plures pertinere : quos si tum permoverit, hoc erit victoriæ præmium ut etiam in theatro novi poetæ ferant omne punctum, nec minus in tragœdia Varius dominari, quam in elegiis Tibullus aut Valgius, in heroico carmine Virgilius, vulgo censeatur.

Cunctis maxime obfuerat insitum illud apud Romanos

1. Vide præsertim *Sat.*, I, 10, 80 et seq.
2. *A. P.*, 55. — *Epist.*, II, 1, 247.

antiquitatis studium. Quod Ennius tam feliciter expresserat,

> Moribus antiquis res stat romana virisque,

hoc ipsum pristinæ latinatis scriptores post mortem suam experti sunt; nam eos sequens ætas religione quadam observavit, ideoque qui nova in litteris tentaverunt, vel si plus artis haberent, mediocri favore sunt primum excepti. Quis enim, si fides Tullio concedatur, non crediderit fuisse summos in eloquentia Catonem vel Appium, in poesi Ennium vel Livium Andronicum? Hoc contendere civile rebatur vir alioqui doctissimus et rerum earum acutissimus judex. Qua permanente apud plurimos, pia magis quam æqua, reverentia, Horatius, ut sua et amicorum merita ulcisceretur, veteres impugnare coactus est.

Quum autem in theatro præpollerent ignaræ plebis sensus, nusquam iniquius fuit inter veteres ac novos poetas certamen. Nam illic veteres sacrosancti habebantur et laudibus quasi rite constitutis vulgo exornabantur :

> ..... aufert
> Pacuvius docti famam senis, Attius alti,
> Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
> Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
> Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte [1].

Hos Horatius neque abolere velit, si possit, neque insectari; illud autem vir liberrimæ mentis non patitur, senum morosorum judicia pro lege recipi, qui tritas sententias veluti suas repetant, atque posteris immutandas tradant.

1. Hor., *Epist.*, II, 1, 55.

Non veteres, sed nimios veterum laudatores, noster vult deridere :

> ..... clament periisse pudorem
> Cuncti pæne patres, ea quum reprehendere coner,
> Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit :
> Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt,
> Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
> Imberbes didicere, senes perdenda fateri [1].

Neque enim innocuus est præposterus ille furor; sed dum aliqui exoriuntur qui fabulas edere studeant « iterum atque iterum theatris spectandas », ægerrime illi ad scenam accedunt, quam nullis nisi antiquis liceat obtinere :

> Hos ediscit et hos arcto stipata theatro
> Spectat Roma potens [2].

Neu licenter hoc et augendæ rei causa putemus ab Horatio dictum : scimus enim eo tempore Virgilium et alios poetas novos a Cæcilio Epirota prælegi cœptos [3], quum ceteri magistri, ut *plagosus* ille Orbilius, nefas existimarent Livium Andronicum et vetustissimum quemque instituendis pueris non jam dictare. Iidem igitur in theatris atque in scholis dominabantur, et pauci fuerunt qui vel interdum, ut Vario Pupioque contigisse constat, tum temporis sinerentur antiquos in scena æmulari. Neque aliud quidquam Horatius queritur : « honorem et præmia [4] » recentioribus præcludunt, sibi detinent veteres; quibus « veniam », imo reverentiam atque admirationem

1. *Ibid.*, 80.
2. *Ibid.*, 60.
3. Suet., *de gramm.*, 16 (Reiffersch., p. 113).
4. *Epist.*, II, 1, 78.

non invideret, ni foret ardore dimicandi abreptus. Verum cum quo sibi res est adversario, ut ait,

> Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
> Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit [1] :

quem confutaturus, et ipse justum transgreditur modum, veteres rursus impugnat atque videtur odisse. Jus autem hoc est : veteres si quis recte venerabitur, eam legem sanciat quam ipsi fecerint, quippe qui novi prius fuerint quam fierent veteres [2].

At quanto gravius fert Horatius praviora in dies populi studia ! Unde vel antiquis tragicis ea fit injuria ut verbo tenus colantur, revera non illorum fabulæ in theatris exhibeantur, sed multo potius « artes divitiæque peregrinæ », marmor, ebur, æs Corinthium, esseda festinantia, pilenta, petorrita, histrionum vestes, equitum turmæ, peditum catervæ, belluæ etiam longinquis e regionibus reportatæ. Noti sunt ob mirum leporem versus quibus omnes has nugas tragicis spectaculis insertas Horatius descripsit, et jam a nobis antea memorati.

Inter hæc oculorum « gaudia vana » pantomimorum saltationem cur Horatius reticuerit, forsitan causa fuit erga Mæcenatem verecundia, quem hoc ludicrum tantopere delectaret. Quum tamen inducit noster inaniter disputantes :

> male necne Lepos saltet [3],

1. *Ibid.*, 88.
2. *Ibid.*, 90 :

> Quod si tam græcis novitas invisa fuisset
> Quam nobis, quid nunc esset vetus, aut quid haberet
> Quod legeret tereretque viritim publicus usus?

3. *Sat.*, II, 6, 72.

satis ostendit se illius insaniæ prorsus expertem esse.

Cantores autem et omne modulatorum genus, non Hermogenem modo, sed et magistrum et discipulos, quos *simios* vocat, incessivit. Sentiebat enim quantum damni scenicæ poesi afferret gliscens in musicos artifices favor.

Cujus variæ multiplicisque calamitatis fons ubi situs sit, dilucide investigat : nempe theatrales artes omnem in modum conturbavit

> Rusticus urbano confusus, turpis honesto [1].

Nam dum numero prævalet « fricti ciceris ac nucis emptor » et omnia in ludis scenicis præter poeticam oblectationem requirit, alii, pars multo minor,

> quibus est equus et pater et res [2],

quamvis primum huic insulsitati repugnent, tamen obsistere non audent, ac tandem ob ignaviam conspirant [3]. De sanando multitudinis judicio noster plane desperavit; scit enim quanta permanserit in agresti Latio rusticitas, quam natura Romani sint a Græcis diversi, quam a Musis alieni [4], nisi quos a communi *robigine* vindicaverit politior humanitas. Ergo si

> Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru
> Exanimat lentus spectator, sedulus inflat [5],

hæc una scenicæ poesi salutis via est, non iisdem promiscue spectaculis rudes homines et eruditos assistere. At

1. *A. P.*, 213.
2. *Ibid.*, 248.
3. *Epist.*, II, 1, 182 et seq.
4. *A. P.*, 323. — *Epist.*, II, 1, 160.
5. *Epist.*, II, 1, 177.

magnum quid et operosum est, festos dies agentem in duas partes populum dividere; itaque quum rem tam novam in animo habeat Horatius, magno se patrocinio tueri tentat, et principem ipsum periclitanti tragœdiæ tutorem advocare. Quod si pervicerit, confidit ne in hac quidem parte claudicaturam ætatem tot ingeniis locupletem et in ceteris poesis generibus quam maxime nobilitatam.

Arctissime cum epistola ad Augustum cohæret *Ars poetica;* utramque enim fere tempore eodem, iisdem etiam deditus cogitationibus, Horatius conscripsit. Scilicet postquam de tragœdiæ discrimine apud principem questus esset, qualis illa esse deberet dein Pisonibus exposuit.

Primum omnium censet deserenda esse priorum tragicorum, romanorum saltem, vestigia. Hos, ut vidimus, non solum constanter populus fovebat; sed erant etiam qui eos imitarentur : qua maxime videtur a Vario discrepuisse Pollio. Quid de veteribus sentirent novi poetæ, apud Virgilium deprehendimus, qui nonnunquam versus Enni suis intexendos decerpat, neque tamen velit Ennianum stylum serviliter effingere. Idem ferme de priscis illis carminibus judicat Horatius :

> .... emendata videri
> Pulchraque et exactis minimum distantia miror;
> Inter quæ verbum emicuit si forte decorum et
> Si versus paulo concinnior unus et alter,
> Injuste totum ducit venditque poema [1].

Non infitiatur quam

> lingua Catonis et Enni
> Sermonem patrium ditaverit [2];

1. *Epist.*, II, 1, 71.
2. *A. P.*, 56.

nec quantum spiritus audaciæque habuerint veteres tragici [1]; imo trimetros illorum, licet graviores sint, *nobiles* [2] æstimat. Non tamen potest

> Operæ celeris nimium culpaque carentis [3]

illos non arguere; quod vitium, utpote ignoscendum, non tam acriter reprehenderet, nisi virtus esse a permultis contenderetur, atque

> offenderet unum
> Quemque poetarum limæ labor et mora [4].

Veteres igitur tragicos sinit pro venerandis, pro laudandis interdum haberi, non posterorum negligentiam respectu illorum excusari.

Quos quibus anteponat, satis aperte declarat hoc præcepto tam decantato :

> Vos exemplaria græca
> Nocturna versate manu, versate diurna [5].

Hinc totam *Artem poeticam* pendere arbitror. Hanc legem adeo ferebat Horatius, quam novi poetæ sibi assumpserant; Virgilius enim totus est quasi græco lepore continctus, nec temere Quintilianus laudem illam uni romanorum tragicorum Vario assignat, « *Thyestem* ejus cuilibet græcarum comparari posse ». Scilicet quum illi intelligerent a veteribus Romæ poetis Græcorum artem magis vitiatam quam expressam fuisse, non lævam

1. *Epist.*, II, 1, 166.
2. *A. P.*, 259.
3. *Ibid.*, 261.
4. *Ibid.*, 290.
5. *Ibid.*, 268.

imitationem imitari, sed ad ipsum fontem recurrere voluerunt, confisi videlicet veram se novitatem effecturos, si meram græcorum operum venustatem in romanam poesim primi inducerent. Horatius « in suum librum, ut ait Porphyrio, congessit præcepta Neoptolemi τοῦ Παριανοῦ de arte poetica, non quidem omnia, sed eminentissima »; permulta ex Aristotele transtulit; nonnulla etiam græcis poematis perlegendis conclusit. Itaque ambiguum est in loco, Romanos an Græcos instituere destinet, adeo pleraque suadet a vulgari Romanorum usu remota. Quod si novorum poetarum tragœdias evolvere possemus, forsitan eas intueremur et Græcorum et Horatii placitis consentaneas.

Difficile est tamen expedire quid sit in *Arte poetica* de dramate satyrico præceptum [1]; nam apud Romanos hujus generis fabulæ adeo nullæ unquam exstiterunt [2], ut Acro, commentator Horatii, adnotet non de Luciliana satura locum illum esse interpretandum [3], quasi nempe res et verbum a plerisque lectoribus æque ignorarentur. Itaque recentiori cuidam critico visum est, quum præcipientis sermonem noster usurpet, vanam hanc speciem esse, quamdam autem liberius loquendi rationem [4], qua satyricæ Græcorum definiantur. Hoc est difficultatem minus resolvere quam eludere; neque enim manifestior

1. 225-217.

2. Vide latinorum grammaticorum excerpta, apud Welcker (*Gr. Trag.* p. 1362) :

Mar. Victorin. : ... Satyricum,... quod genus nostri in Atellanis habent. — Diomed. : ... Apud Græcos tragica, comica, *satyrica*, mimica; apud Romanos prætextata, tabernaria, *Atellana*, planipes. — *Latina Atellana* a *græca satyrica* differt, quod in satyrica fere satyrorum personæ inducuntur..., in Atellana Oscæ personæ...

3. Acro ad A. P., 216, 221, 226, 232, 234, 235, 236.

4. Welcker, *G. Tr.*, p. 1367.

usquam est in toto libro poemata revera scripturos admonendi voluntas.

At pro satyricis fabulis apud Romanos Atellanas viguisse aiunt grammatici : quid hoc? non modo quoniam sunt « argumentis dictisque jocularibus similes [1] », verum etiam quia post tragœdias utræque agi solitæ sunt [2], scilicet quod in utraque gente

> Illecebris erat et grata novitate morandus
> Spectator [3],

non « potus et exlex » utique dicam, sed tragica severitate paulum contristatus : unde *exodii* nomen Atellanis inditum [4]. His propriæ personæ Maccus, Bucco, Pappus, Dossennus, Oscæ quidem originis [5]; cujus generis fabulas, quum antea fuissent extemporales, circa Syllanam ætatem primi scripserunt Novius ac Pomponius Bononiensis : Oscas illi personas nonnunquam fabulosis argumentis, joculariter nempe tractatis, immiscuerunt, atque ideo ludicrum hoc fecerunt græcis satyricis tam propinquum, ut Porphyrio dicat : « Satyrica cœperunt scribere, ut Pomponius *Atalanten*, vel *Sisyphon*, vel *Ariadnen* [6]. » Occurrunt etiam in Atellanarum fragmentis, Pomponii ejusdem *Agamemno suppositus*, *Marsya*, Novii *Hercules coactor*, *Phœnissæ*.

Missos facio Q. Ciceronis συνδείπνους Σοφοκλέους, meram satyricam, ut videtur, quæ vero neque pernotuerit neque scenæ sit destinata. Ut Atellanas solas curemus, hanc ar-

1. Diomed., t. I, p. 490 (Keil).
2. Cic., *Epist. ad fam.*, IX, 16.
3. Hor., *A. P.*, 223.
4. Liv., VII, 2.
5. Boissier, *Atellanæ fabulæ* (Daremberg et Saglio, p. 513).
6. Ad A. P., 221.

tem « post Novium et Pomponium diu jacuisse » ferunt, donec per Mummium aliquem resurgeret [1]. Mummius quando vixerit, non plane compertum est; neque tamen actarum Atellanarum sub Augusto quidquam est indicium. Quæ dum languebant, opportune tentavit Horatius in earum locum ac munus græcas satyricas supponere. Etenim insitam Atellanis exodiis obscenitatem atque Oscis personis velut inhærentem verborum licentiam [2] mihi videtur ille respicere ac castigare, quum præscribit ut Fauni sylvis deducti trivialem ac forensem habitum, immunda ignominiosaque verba repudient. Quod si veteres illi ac deformes Maccus, Pappus, Bucco, Satyris cedant, protervis quippe, sed una divinis, magna spes est posse apud Romanos etiam vigere hoc fabularum genus quæ tragicos actus hilare simul ac decenter concludant.

In iis itidem quæ de tragœdia præcipit Horatius, nihil tam studiose ac religiose prosequitur quam quod priores Romanorum tragici minime curaverant a Græcis mutuari; atque ut iis solet evenire, qui legitimam auctoritatem reparare, nimiam licentiam compescere, nituntur, quæ magis vel minus necessaria sint male discernit; id omne quod effecere magistri pro sacro veneratur. Inde hæc oraculi modo, licet parvi momenti sint, breviter ac superbe pronuntiata :

> Neve minor neu sit quinto productior actu
> Fabula, quæ posci vult et spectata reponi;
> Nec deus intersit nisi dignus vindice nodus
> Inciderit; nec quarta loqui persona laboret [3].

1. Macrob., *Saturn.*, I, 10, 3.
2. Quintil., VI, 3, 47 : « Amphibolia, neque illa obscena, quæ atellanæ more captent, nec qualia vulgo jactantur a vilissimo quoque. »
3. *A. P.*, 189.

Non sunt eæ leges quas ingeniosus poeta nequeat impune transgredi; at Græcorum more constitutas omittere, Horatio judice, nefas sit.

De choro fusius tractatum, et quod attendere magis expediat :

> Actoris partes chorus officiumque virile
> Defendat, neu quid medios intercinat actus,
> Quod non proposito conducat et hæreat apte.
> Ille bonis faveatque et consilietur amice,
> Et regat iratos et amet pacare tumentes ;
> Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem
> Justitiam legesque et apertis otia portis;
> Ille tegat commissa deosque precetur et oret,
> Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis [1].

Hæc sunt prope ad verbum ex Aristotele conversa [2]. Ergo nulla chori effigies hic exquirenda est, qualem vidimus apud Romanos, in pulpito stantem et nonnunquam peragendæ fabulæ quasi manus adhibentem [3]. Contra mihi videtur Horatius, quum jubeat *actoris partes officiumque virile a choro defendi*, hoc unum cum Aristotele imperare, ut chorus mores habeat et sibi et fabulæ convenientes, ut *unius* personæ partes gerat, non 'εμβόλιμα canat et quæ possint ex altera tragœdia in alteram transferri ; qua jam apud Græcos Euripides deliquerat : at quanto gravius est a Romanis peccatum, qui plures in eamdem fabulam choros introduxerint, ætate, conditione, habitu diversissimos ! Medios actus et illi carmina inter-

1. *Ibid.*, 193 et seq.
2. *Poet.*, 18 : τὸν χορὸν ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι...
3. Cf. Boissier, *Chorus* (Daremberg et Saglio, p. 1127) : « A la fin des *Niptra* de Pacuvius, il (le chœur) transportait avec toute espèce de soins Ulysse blessé sur un brancard, le déposait en un lieu sûr, loin de la mêlée, et lui prodiguait ses consolations. *C'est sans doute en ce sens qu'Horace a pu dire qu'il était devenu un acteur comme les autres.* »

cinebant, vocum quidem organorumque tanto concentu, tanto etiam tibicinis motu ac luxu, ut id ipsum in tragico spectaculo quasi singulare spectaculum esset; quam licentiam Horatius continuo vituperaturus, prius exponit quale sit in perfectissimis Græcorum poematis chori munus, scilicet ut rerum actarum probus adsistat spectator, coram superbis miserisve confligentibus justitiæ ac pacis incorruptus vindex. Hæc ab illa lege artis suprema defluunt quam, ut ita dicam, in *Artis poeticæ* fronte inscriptam cernimus :

> Denique sit quidvis simplex duntaxat et unum [1].

Namque ut Græcorum præceptis aliquanto arctius inhæret Horatius, ita quid sit in eorum operibus vere eximium unus Romanorum persensit; id est in effingendis personis movendisque affectibus exactissima veritas, ad quam is tantum accedere possit, qui philosophia imbutus fuerit et « Socraticas chartas », ut ait, edoctus [2]. Inde morum quos quæque ferat ætas descriptio, ex Aristotele et illa fidissime conversa [3]. Quid quod exigitur regionibus virorumque conditionibus aptus quidam, ut nunc dicitur, *color* :

> Intererit multum divusne loquatur an heros,
> Maturusne senex an adhuc florente juventa
> Fervidus, et matrona potens an sedula nutrix,
> Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis [4].

1. *A. P.*, 23.
2. *A. P.*, 310; 315 et seq. :

> Respicere exemplar vitæ morumque jubebo
> Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces,
> ....Ille profecto
> Reddere personæ scit convenientia cuique.

3. *Ibid.*, 156 et seq.
4. *Ibid.*, 114 et seq.

Hic est proprie, ut aiebant, atticismus. Apud Romanos vero tragicos personis omnibus est una quædam sublimiter at minus apte loquendi ratio : qui quidem non, ut Sophocles et Euripides, (et hæc quoque nostratium culpa fuit) cothurni dignitatem in loco temperaverunt.

..... Ampullas et sesquipedalia verba [1]

assidue sectati ; non sermonem illum tenuerunt, a declamatorio pariter atque comico remotum, quo poemata *pulchra* simul ac *dulcia* fierent, quo lacrymæ auditoribus elicerentur, vana imagine perinde commotis ac si rem veram spectarent. Illi vero,

Si dicentis erunt fortunis absona dicta [2],

non Telephum et Pelea, pauperem utrumque et exsulem, intueri sibi videbuntur, sed poetam ipsum tanquam præsentem sentient, ideoque frigidi permanebunt. At optimus ille tragicus, qualem apud Græcos invenit Horatius atque eorum instar informare studet, « magus » est, qui « quocumque volet animum auditoris agat, angat inaniter, ac modo Thebas, modo Athenas abripiat. »

Talem fuisse Varium, credere potius quam firmare ausim. Quem autem, hæc legentem Horatii præcepta, non subibit Virgilii recordatio, in cujus *Æneide* tot loci occurrunt, et quartus ille liber de Dido, et dulcissimæ de Niso et Euryalo vel de Andromacha narrationes, absolutæ videlicet tragœdiæ et Euripidem redolentes in epico carmine insertæ?

1. *Ibid.*, 97.
2. *Ibid.*, 112.

Utinam autem satis sibi imperasset Horatius, ac dum peritissimus Græcorum æstimator cernitur, proprias romanæ tragœdiæ virtutes non despexisset. Jure quidem jubet ut

> Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
> Neu quodcumque volet poscat sibi fabula credi,
> Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo [1];

eamdem ob causam vetat quidquam in scena repræsentari quod respuant increduli spectatores :

> Ne pueros coram populo Medea trucidet,
> Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
> Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem [2];

quæ spectacula quandoque atrocia, multo sæpius ridicula, Romanis et tunc et dudum usitata fuisse confitendum est; necnon a Persio mox deridebitur Procnes olla vel Thyestæ,

> sæpe insulso cœnanda Glyconi [3].

Rursus tamen vereor ne plus æquo juverit Horatium « facundia præsens » illa, cujus in græcis tragœdiis frequentior usus est, quam ne nostri quidem Cornelius ac Racinius caute satis adhibuerunt. Romani melius, qui narrationes illas in actum vertere ac rem ipsam « fidelibus oculis subjicere » plerumque conati sint. Apud Attium narratur cœna Thyestæ [4], quippe quæ nil nisi

1. *Ibid.*, 398.
2. *Ibid.*, 185.
3. *Sat.*, V, 6. — Cf. Manil., V, 462 :

> Ructantemque patrem natos...

4. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 164 :

> .... concoquit
> Partem vapore flammæ, veribus in foco
> Lacerta tribuit...

odiosi habeat; in ejusdem vero *Antigona*, non ut apud Sophoclem a milite refertur virginis pium facinus; revera pulchrum illud ac miserabile spectaculum oculis offertur; quod cuinam narrantis facundiæ non prætuleris? Hanc tragicorum romanorum propriam consuetudinem Horatius non aperte castigat; nescio tamen num exemplaria Græca merito pluris fecerit, quum hoc diceret : « *Multa* tolles ex oculis [1]. »

Imitandos igitur Græcos proponit; quomodo tamen et quatenus imitandos, definiendum est; neque enim potuisset sibimet ipse tam cito contradicere, et clamorem hunc suum nuperrimum oblivisci :

O imitatores, servum pecus, ut mihi sæpe
Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit
Dux regit examen [2].

Quam sententiam sic protinus illustrat :

Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, *numeros animosque secutus*
Archilochi, *non res* et agentia *verba* Lycamben.

Simili porro mente scenicis Romæ poetis hoc gratulatur :

Nec minimum meruere decus vestigia græca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas vel qui docuere togatas [3].

Nempe illi vere poetas, id est inventores, se præstiterunt, quum integris in argumentis operati sunt, quæ

1. *A. P.*, 182 et seq.
2. *Epist.*, I, 19, 19.
3. *A. P.*, 286.

romanis e rebus ipsi excerpsissent. Atque utinam *res* et *verba* sæpius nulli debuissent! Hoc enim non servile est, aliorum « animos numerosque » sequi, scilicet eorum artem propria excogitando æmulari. Viam longe diversam sequebantur Romani priores, qui, quum a græco fonte fabulæ summam detorsissent, « barbare, ut Plautus ait, verterent [1] », arte rudi, numeris tardioribus, egeno sermone deformarent.

At de constituendis fabularum argumentis vide quanto liberius sentiat Horatius.

Materies aut *publica* est, si personas jamdudum decantatas complectitur; aut *communis*, si prorsus inedita : alterutra quomodo sit utendum, uno versu edicitur :

> Aut famam sequere aut sibi convenientia finge [2].

Famam sequetur qui notas personas ita inducet ut possint facile agnosci; quod ni fecerit, mendacem mendosamque hanc esse picturam succlamabunt auditores [3]. Præter hoc, sui auctor arbitrii maneat, imitatoris vices sedulo effugiat :

> Publica materies privati juris erit, si
> Non circa vilem patulumque moraberis orbem,
> Nec verbo verbum curabis reddere fidus
> Interpres, nec desilies imitator in arctum,
> Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex [4].

1. *Asin.*, prol., 11. — *Trinum.*, prol., 19.
2. *A. P.*, 119.
3. *Ibid.*, 120 et seq. ;

> Scriptor honoratum si forte reponis Achillem,
> Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
> Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
> Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
> Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.

4. *Ibid.*, 131 et seq.

Quocirca non sibi græcam eligat tragœdiam, quoquo modo retractandam, sed aliquam epici carminis partem in actus nova ratione deducat [1]. At multo difficilius, ideoque laudabilius, erit, sed timidioribus ingeniis lubricum, *proprie communia dicere* : tum nullus scribentis libertati modus, præterquam quod sanæ mentis opus, non vanam discordemque speciem, ægri videlicet somnia, debet effingere :

> Si quid inexpertum scenæ committis et audes
> Personam formare novam, servetur ad imum,
> Qualis ab incepto processerit, et sibi constet [2].

Ad summam sit ars græca, quia venusta ; at de suo et argumenta et sensus excogitet, si quis jam volet romanam tragœdiam locupletare.

Adsunt multæ insuper admonitiones de stylo, de versuum structura, de censore eligendo, viro bono ac prudenti, qui « fiat Aristarchus », nullam incastigatam prætermittat [3] culpam, nihil non vitiosi jubeat poetam delere,

> Et male tornatos incudi reddere versus [4].

Tot denique delicta præcaventur ab Horatio, tot virtutes rursus requiruntur, ut multo plures a pangendis carminibus averterit quam ad eum laborem incitaverit. Nam multa et latina et græca legisse oportet, et perlecta in suum quasi sanguinem vertisse, et stylo constanter in-

1. *A. P.*, 128.
2. *Ibid.*, 125.
3. *Ibid.*, 445 et seq.
4. *Ibid.*, 441.

cumbere, quæ tamen omnia irrita sunt, nisi cum arte natura conspiret :

> ....Alterius sic
> Altera poscit opem res et conjurat amice [1].

Nusquam autem magis quam in scenica poesi necessarium est in primis ingenium, quod nulla supplere possit eruditio, quod etiam possit eruditionis non indigere :

> Interdum speciosa locis morataque recte
> Fabula nullius veneris, sine pondere et arte,
> Valdius oblectat populum meliusque moratur
> Quam versus inopes rerum nugæque canoræ [2].

Hoc meminerint Piso, Titius, et quicumque nil aliud in tragœdia quam ampullantur, ut plausus assentatorum captent; viris summis hoc opus derelinquant, de quo maxime hæc sententia est :

> Animis natum inventumque poema juvandis,
> Si paulum summo decessit, vergit ad imum [3].

Huc, inquam, spectant omnia Horatii præcepta : pauci sint tragici, sed excellentes; pauca poemata, sed ad unguem perfecta, et quæ paucos homines, sed acuti judicii, permulceant. Solent enim « novi poetæ » turbam ut argumentum pessimi intueri, et ipse noster jamdudum id professus est :

> Satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
> Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit [4].

Nec tamen hoc fuit scenicæ poesi, ut generibus aliis, salutare; neque enim potuit theatrum ab arbitrio vulgi

1. *A. P.*, 410.
2. *Ibid.*, 319.
3. *Ibid.*, 376.
4. *Sat.*, I, 10, 76.

vindicari. Tragœdiam magis in diem turba respuit, veterem tolerat, novam cogit in auditoria migrare. Vide enim quid, Horatio vixdum mortuo, fecerit Ovidius, poeta nempe moribus ætatis suæ quamlibet accommodatus : quum in tragœdia maximis æquari posset, noluit fabulas scenæ committere; *Medeam* unam recitandam, non agendam emisit; hoc denique contentus fuit, quod ex ipsius carminibus cantica ad pantomimorum usum excerperentur atque in pleno theatro saltata valde populo placerent.

CAPUT IV

DE TRAGICA SALTATIONE AC DE SALTICIS FABULIS.

De saltatione copiam documentorum amplissimam offerunt scriptores fere cuncti qui sub primis imperatoribus exstitere : quamdiu enim res romana paganique mores duraverunt, nullum fuit ludicrum aut populo gratius, aut magis per provincias omnes diffusum, aut quod plus haberet cum publicis rebus necessitudinis. Nec desunt super hac luculentæ recentiorum dissertationes [1], quas quidem ad nostrum usum convertere, non denuo instaurare, libet. Unum hoc exquirimus, quomodo tragœdiæ saltatio successerit, quid cum ea commune habuerit, quid proprium; cur denique, quum nonnullos tantopere offenderet, plerisque, et eorum quibusdam haud inficetis, aliquid oblectationis, salis, utilitatis secum ferre visa sit.

Quanta pars scenicorum spectaculorum antiquitus fuerit apud Romanos saltatio, supra ostendimus; nec tamen publice quidquam aliud erat quam actarum fabularum adjutrix. Privatim autem, quum huic populo tam valde

1. Boissier, *De la signification des mots saltare et cantare tragœdiam* (*Revue archéologique*, 1861; p. 333 et suiv.). — Grysar, *Ueber die Pantomimen der Römer* (*Rhein. Museum*, 1834; p. 30 et suiv.).

placeret, fuere qui solam eam et ab omni poemate sejunctam exercerent; quam tamen histrionalem peritiam nemo ingenuorum nisi temulentus[1], nulla mulier nisi perditissimæ impudicitiæ proferebat[2]. Nimirum e membrorum agilitate constabat et scurrile nescio quid, imo protervum, esse videbatur.

Quum vero pars spectaculorum poetica majus in diem populo tædium afferret, Augusto demum imperante[3], duo histriones, Bathyllus ac Pylades, ausi sunt novum ludicri genus instituere, quod a tragœdia comœdiaque parum videretur distare, sed revera fere totum a pantomimis, id est a saltatoribus, perageretur. Bathyllus, ut aiebant, in comœdia, Pylades in tragœdia pollebat; unde jam tum cœpta sunt duo saltationis genera constitui, et secundum utriusque præcepta (sua Pylades etiam in librum redegerat) ad successores in singulis scholis tradita sunt[4].

Quod quam novum esset, neque homines primo senserunt, neque inventores ipsi jactaverunt. Imo vero comœdiam tragœdiamque fere integras superesse fingebant; ac Pylades, quum ab Augusto interrogaretur quid pristinæ saltationi contulisset, hoc Homerico versu modestissime respondisse fertur :

Αὐλῶν συρίγγων τ'ἐνοπὴν ὅμαδόν τ'ἀνθρώπων[5].

Etenim organa omnigena saltationi tum sunt adhibita,

1. Cic., *pro Murena*, 6.
2. Sall., *Catil.*, 25.
3. Ann. 732 (Chron. Eus.).
4. Luc., *de Salt.*, 34. — Senec., *Contr.*, III (*Excerpt.*), præf. — Athen., I, 37. — Suidas, ὄρχησις παντόμιμος. — Zozim., I, 6. — Suet., fr. IV, p. 22 (Reiffersch.). — Senec,, *Quæst. nat.*, VII, 32.
5. Macr., *Saturn.*, II, 7, 18.

cithara, tibia [1], cymbala, tympana [2], ferrea scabella tibicinis pede concutienda [3], quæcumque denique poterant « saltantis vigorem excitare [4] »; canticum, de more, nuncupatum duravit, quod gestu saltator prosequebatur, verum, quo major fieret strepitus, cantandi partes choro, non jam uni cantori mandatæ sunt [5]. Hunc ὁμαδὸν ἀνθρώπων significabat Pylades, forte etiam artificum, ut fabula poscebat, in scenam prodeuntium [6]. Ideo quum fabulis prius usitatis novi nihil additum esse vulgo censeretur, retinuit saltatio tragœdiæ vel comœdiæ nomen, nisi quod illæ non jam agi sed saltari dictæ sunt [7].

At si vim inventi propriam declarare voluisset Pylades, non additas saltationi partes sed sublatas potius dixisset. Scilicet hæ salticæ, sicut vocabuntur, fabulæ jam tantum e canticis constant; evanuit omnis dialogus, omnis affectuum conflictatio; tragœdia quinimo (ut de illa tantum agamus) ultra recessit quam ubi fuerat ante Æschylum. Namque actione sublata, chori unius verba exaudiuntur; hunc præter non actor adest, sed saltator; plures autem ille vicissim personas induit ac

turbam reddit in uno [8];

at personæ mutæ sunt [9], per gestus enim loqui se glo-

1. Luc., *Ibid.*, 26.
2. Plin., *Epist.*, II, 14.
3. Liban., πρὸς Ἀριστείδην ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν, t. III, p. 385 (Reiske). — Luc., *Ibid.*, 3.
4. Phædr., V, 7, 14.
5. Luc., *Ibid.*, 68. — Manil., V, 481 : Æquabitque choros gestu. — *Anthol. lat.*, p. 108 (Riese) : Quum grata chorus diffundit cantica dulcis.
6. Luc., *Ibid.*, 83.
7. Suet., *Calig.*, 53 : « Pantomimus Mnester tragœdiam *saltavit*, quam olim Neoptolemus tragœdus... *egerat.* »
8. Manil., V, 479.
9. Luc., *Ibid.*, 66.

riatur pantomimus, imo non sua exprimere sed chori tantum verbis obsequi. Comicas personas saltat Bathyllus, ut gaudium moveat; tragicas Pylades, ut spectantibus graviores sensus incutiat : quid jam amplius est quod e comœdia vel tragœdia salvum remanserit?

Quod ad musicam attinet, fatetur Libanius, quamvis saltationis defensionem agat, parum in ea curari solere pulchrine sint an pravi, qui conspirent, modi [1]. At carmina non majoris momenti sunt; quibus latinus aliquando, multo sæpius, ut videtur, græcus sermo impenditur; quæ paucorum igitur auditorum ad intellectum plane perveniunt [2]; quæ denique conscribere, primis saltem temporibus, opus habetur infimum [3]. Omne igitur ludicrum in saltatoribus spectandis situm est; non fabulæ salticæ memorantur ut per se laudabiles, sed ut in quaque pantomimus enituerit unus et alter : inde fit ut pantomimos noverimus tam multos, tam paucos vero salticarum fabularum auctores; inde tam diversi de saltatione virorum excellentium sensus, tantaque illius judicandæ difficultas.

Hæc novitas cur tam cito floruerit, præcipua causa fuit mirum Pyladis Bathyllique ingenium; quorum ne memoria quidem excidit, et ipsa nomina a successoribus ut honorifica sumpta sunt [4]; quod Paridi quoque postea

1. Liban., *Ibid.*, p. 381 : Οὐχ ὡς γενναίων ᾀσμάτων ἀκουσόμενοι καὶ προσέξοντες τὸν νοῦν ἐρχόμεθα... Τοσοῦτον δὲ ἀπαιτοῦμεν μόνον ὑπηρετῆσαι τὴν φωνὴν τοῖς σχήμασιν. Οὐ γὰρ ἡ ὄρχησις ὑπὸ τῶν ᾀσμάτων πληροῦται. Τῆς ὀρχήσεως δὲ εἵνεκα τὰ ᾄσματα εὕρηται.

2. Capitol., *de Maximin. duobus*, 9 (apud Ribbeck, *Com. fragm.*, p. 398). — Suet., *Ner.*, 39; *Galb.*, 13. — Petron., 52.

3. Senec., *Suas.*, II, 19 : « ...Silonem, patrem hujus Silonis qui pantomimis fabulas scripsit et ingenium grande non tantum deseruit sed polluit. »

4. Senec., *Quæst. nat.*, VII, 32 : « Quanta cura laboratur ne cujus

contigit. Narratur « indulsisse ei ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperaret, effuso in amorem Bathylli [1]. » Nec populus a talibus studiis abstinuit; natæque inde pantomimorum factiones, prout his aut illis vehementius eorum alteruter placeret, atque in eum tumultum eruperunt, ut sæpius ab imperatoribus usque ad Trajanum in artifices, quorum causa fierent tantæ dissentiones, graviter animadverteretur [2].

Præterea multi eorum, qui cultu ac forma præstabant, teneris potissimum personis vel procacibus addicti, quum flagitiose nobilissimis in domibus mœcharentur, jam antea castissimo cuique suspectam suam artem infamaverunt. Hinc illa utriusque Senecæ indignatio [3], hinc quæ Juvenali versum facit :

> Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo
> Tuccia vesicæ non imperat; Appula gannit
> Sicut in amplexu, subitum et miserabile longum
> Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit [4].

Quod si tamen nil aliud in saltatione quam inhonestum fuisset, credere piget potuisse viros politissimos, Mæcenatem, Drusum [5], Ovidium, mox Lucianum, tandem Libanium, ea tantum oblectari, patrocinium etiam ejus suscipere.

Plures quidem nobis occurrunt pantomimi, vitæ spurcitia famosi; tamen nonnulli sunt quorum egregiæ dotes,

pantomimi nomen intercidat; stat per successores Pyladis ac Bathylli domus... »

1. Tac., *Ann.*, I, 44.
2. Macr., *Saturn.*, II, 4, 19. — Dio Cass., LIV, 17. — Tac., *Ann.*, I, 77; XIV, 21. — Plin., *Paneg.*, 46.
3. Senec., *Controv.*, I, præf. — *Quæst. nat.*, VII, 32.
4. VI, 63.
5. Dio Cass., LVII, 14.

morum sanctitas, merita erga cives ac sodales in lapideis titulis laudentur [1]. Item apud recentiores diversissima hominum judicia scenici artifices experti sunt. Quidni vel inter comicos, ut loquebantur, saltatores quidam exstitissent sine protervitate festivi, sine obscenitate venusti, privatim etiam honorati?

Talis videtur fuisse conditor artis Bathyllus, talis ætate posteriore Paris ille, cujus epitaphium tam eleganter fecit Martialis :

Quisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars et gratia, lusus et voluptas,
Romani decus et dolor theatri,
Atque omnes Veneres Cupidinesque
Hoc sunt condita, quo Paris sepulcro [2].

Nam et in hoc submissiore saltationis genere, quænam apparent personæ? Non triviales videlicet, sed mythicæ, quales olim in quibusdam Pomponii Noviique Atellanis : Echo, Pan, Satyri [3]. Itaque Atellanæ nuncupabantur illæ pantomimorum, qui Bathylli disciplinam secuti erant, fabulæ [4]. Teneris illas puellis com-

1. Orelli, 2626 : *L. Rebellio... pantomimo sui temporis primo, sacerdoti Dianæ victricis et Apollinis Palatini ab imperatore M. Aurelio Antonino... bis coronato... ob insignem ejus virtutem et benevolentiam colonia Telesia posuit.* — 2627 : *M. Aurelio... pantomimo sui temporis primo... huic respublica Prænestina ob insignem amorem ejus erga cives patriamque postulatu populi statuam posuit.* Cf. 884, 2628, 2630. — 2625 : *L. Acilio... nobili archimimo... decurioni Bovillis quem primum omnium adlectorum patrem appellarunt adlecti scenicorum et ære collato ob munera et pietatem erga se...* — 2629 : *...Pyladi pantomimo... grex romanus ob merita ejus titulum memoriæ posuit. Sui temporis primus Troadas, Iona...*

2. XI, 14.

3. Plutarch., *Quæst. conv.*, VII, 8, c. 3, § 3.

4. Tac., *Ann.*, IV, 14. — Juv., VI, 71.

mendat Ovidius [1], utpote teneras ipsas ac jucundas. Fieri potuit ut eas summa lascivia saltarent pantomimorum longe plures; quidam vero justum modum retinuerunt, quem in satyricis fabulis requirebat Horatius, atque viris, non dicam severis, sed urbanis, valde placuerunt [2].

Quod multo minus etiam tragicis, id est secundum Pyladem, pantomimis defuit : nam ipsi Pyladi majestatem tribuit Plutarchus [3]. Præstantiorem illam saltationem perspicue satis definit Quintilianus, quum oratori præcipit, « ut sit gestus ad sensum magis quam ad verba accommodatus; quod etiam, ait, histrionibus paulo gravioribus facere moris fuit [4]. » Quod quasi viva effigie agnoscimus in hac Macrobii narratiuncula : « Quum canticum quoddam saltaret Hylas cujus clausula erat τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, sublimem ingentemque Hylas velut metiebatur. Non tulit Pylades et exclamavit e cavea : σὺ μακρὸν οὐ μέγαν ποιεῖς. Tunc eum populus coegit idem saltare canticum, quumque ad locum venisset quem reprehenderat, expressit cogitantem nihil magis ratus magno duci convenire quam pro omnibus cogitare [5]. » Itaque hoc saltationis genus non scurrile erat, imo picturæ proximum, si quidem rerum illustrium vivas variasque imagines repræsentabat. Nam quæ nobilissimis in tabulis picta fuerant, eadem sæpius simulabant pantomimi : Nessum, Dejaniram, Acheloique cum Hercule certamen; Atalantam ac Meleagrum; Pelopem a Neptuno curru dona-

1. *Ars amat.*, I, 501. — *Remed. amor.*, 751.
2. Luc., *de Salt.*, 3.
3. *Ibid.*, § 2.
4. XI, 3, 89.
5. *Saturn.*, II, 7, 13-14.

tum; Achillem inter Lycomedis filias commorantem [1].

Nullis vero fabulis frequentius, quam Baccho et Bacchis, graviores illi pantomimi utebantur; neque fere ulla est ex Euripidis tragœdiis quam libentius romani tragici retractaverint: *Pentheus* enim a Pacuvio conscriptus fuerat, ab Attio *Bacchæ;* ad eamdem materiam pertinere videtur incerta Pomponii Secundi fabula, ubi chorus hæc canebat :

> Pendeat ex humeris dulcis chelys [2]...

Agave et Pentheus quam crebro in romanis scenis spectarentur, ex aliquot Virgilii Horatiique locis satis patet [3]; quorum alter hac recordatione plenus Amatæ furorem in *Æneide* depinxit. *Agaven* tragœdiam postea Statius fecit, quam statim Paridi vendidit, saltationi accommodandam [4]. Facile autem intelligitur hanc fabulam, romanis mentibus gratissimam, a pantomimis eo majore studio usurpatam fuisse, quod in ea non possent affectus exprimi, nisi turbido vultus ac totius corporis habitu. Plures igitur histriones fuerunt, qui suam artem in talibus bacchantium ac divino instinctu delirantium personis exhibe-

1. Liban., *Ibid.*, p. 373. Cf. Philostr. jun., 1, 5, 10, 16, 17; Philostr. prior., *Imag.*, I, 29.
2. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 231.
3. Hor., *Sat.*, II, 3, 303 :

> Quid, caput abscissum manibus quum portat Agave
> Gnati infelicis.....

Cf. *Epist.*, I, 16, 73 et seq. — Virg., *Æn.*, IV, 469 :

> Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus
> Et solem geminum et duplices se ostendere Thebas.

4. Juv., VII, 87.

rent; neque mediocris laus illis tribuitur, divini quidquam effinxisse, unde sacer horror spectantibus infunderetur[1].

Pejores quidem pantomimi indoctorum suffragia quæsiverunt, « loquacibus, ut aiunt, digitis », ac gestibus velocibus magis quam decoris, unumquodque cantici verbum quasi minutatim interpretando. At si qui vere artis suæ periti erant, personas potenter electas grandiore quodam modo saltabant, neque quidquam tentabant aliud, nisi ut ἤθη ac πάθη cantico congruentia effingerent, membra composite moventes amœnamque speciem utique offerentes : ideo Lucianus contendit excellentem pantomimum ipsius philosophiæ indigere, necnon Phidiam aut Apellem æmulari[2]. Quod si plures ac varias, quatuor aut quinque (nam in salticis fabulis is demum

1. *Anthol. gr.* (Didot), t. II, p. 49 : Boëthi *de Pylade* epigramma :

Εἰ τοῖος Διόνυσος ἐς ἱερὸν ἦλθεν Ὄλυμπον,
    κωμάζων Λήναις σύν ποτε καὶ Σατύροις,
οἷον ὁ τεχνήεις Πυλάδης ὠρχήσατο κεῖνον,
    ὀρθὰ κατὰ τραγικῶν τέθμια μουσοπόλων,
παυσαμένη ζήλου Διὸς ἂν φάτο σύγγαμος Ἥρη·
    « ἐψεύσω, Σεμέλη, Βάκχον· ἐγὼ δ' ἔτεκον. »

P. 587 : Antipatri. Εἰς στήλην Πυλάδου ὀρχηστοῦ.
Αὐτὸν βακχευτὴν ἐνέδυ θεὸν, ἡνίκα Βάκχας
    ἐκ Θηβῶν Ἰταλὴν ἤγαγε πρὸς θυμέλην,
ἀνθρώποις Πυλάδης τερπνὸν δέος, οἷα χορεύων
    δαίμονος ἀκρήτου πᾶσαν ἔπλησε πόλιν.
. . . .

Ibid. : Auctoris incerti. Εἰς Ξενοφῶντος Σμυρναίου εἰκόνα.
Αὐτὸν ὁρᾶν Ἰόβακχον ἐδόξαμεν, ἡνίκα Ληναῖς
    ὁ πρέσβυς νεαρῆς ἦρχε χοροιμανίης.
. . . .

2. Luc., *de Salt.*, 35, 67 : τὸ δὲ ὅλον ἤθη καὶ πάθη δείξειν καὶ ὑποκρινεῖσθαι ἡ ὄρχησις ἐπαγγέλλεται νῦν μὲν ἐρῶντα, νῦν δὲ ὀργιζόμενόν τινα εἰσάγουσα, καὶ ἄλλον μεμηνότα καὶ ἄλλον λελυπημένον, καὶ ἅπαντα ταῦτα μεμετρημένως.

numerus videtur maximus fuisse [1]) personas continuo saltasset artifex unus et idem [2], neque in ulla cessavisset, summum artis ille impleverat.

Narrat Lucianus olim pantomimum aliquem coram Demetrio cynico Martis ac Veneris fabulam saltavisse, ac solo gestu fecisse perspicuam [3]. Augustinus vero hoc inter alia crimini vertit saltationi, quod obscura sit, neque sine præconis ope possit intelligi [4]. Quid mirum? Demetrius argumentum jam ante bene notum facile agnovit; plebis autem carthaginiensis quotus quisque erat, quarto post Christum sæculo, qui poeticas historias mente complecteretur? At saltatio, perinde ac pictura aut statuaria, nihil fere novi docere poterat, sed nobilium rerum novam imaginem præbere. Quocirca, licet communem tragœdiæ saltationisque materiem Lucianus esse dicat, imo saltationis copia ac varietate præstantem, ejusque argumenta rerum ab origine usque ad Cleopatræ mortem enumeret [5], videtur hoc nimia laudandi cupidine amplificatum, neque exemplis quæ novimus comprobatur. Nam ut quidlibet saltare pantomimis licebat, ita quædam fabularum genera potissimum elegerunt, in quibus corporeas dotes aptissime ostentarent : res amatorias præcipue amplectebantur, « a Chao densos divum amores »,

1. Luc., *ibid.*, 66. — *Anthol. gr.* (Didot), t. II, p. 111. Crinagoræ *de Bathyllo* epigramma :

> Θάρσει καὶ τέτταρσι διαπλασθέντα προσώποις.
> μῦθον καὶ τούτων γράψαι ἔτι πλέοσιν·
> οὔτε σε γὰρ λείψουσι, Φιλωνίδη, οὔτε Βάθυλλον,
> τὸν μὲν ἀοιδάων, τὸν δὲ χερῶν χάριτες.

2. Luc., *ibid.*, 67 : καὶ ταῦτα πάντα εἷς ἄνθρωπός ἐστι.
3. Id., *ibid.*, 63.
4. *Doctr. Christ.*, II, 38.
5. Luc., *ibid.*, 31, 37-60.

in primis Ledæ cum falso cycno concubitum [1]; de Bacchis sat supra diximus; adde, teste Luciano, metamorphoses omnes [2] quas Ovidius poemate collegerat ac memoriæ hominum revocaverat; neque, ut opinor, aliud quidquam ipse Naso significat, quum ait « sua poemata sæpe populo saltata ». Si quod etiam apparebat opus ac magna celebritate pollebat, id pantomimi, modo res pateretur, invadebant, salticas fabulas inde excerpturi : jure enim putabant se populo gratiosos fore, si carmen omnibus jucundum suopte artificio in scenam eveherent. Ne Virgilio quidem pepercerunt, nam « lasciviens Dido perpetuis histrionum gestibus [3] » celebrata est; et Nero, callidissimus ille rerum ludicrarum arbiter, quum vellet histrionalem sui gloriam consummare, promisit se, nisi ab imperio detruderetur, in partæ victoriæ ludis saltaturum novissimo die Virgilii Turnum : « et sunt, pergit Suetonius, qui tradant Paridem histrionem occisum ab eo quasi gravem adversarium [4]; » quia nempe sub ea Turni persona solitus erat Paris magnam sui admirationem movere. Ergo quemadmodum nos videmus, si quis hodie fictarum historiarum liber lectoribus cordi est, eum extemplo ab ipso auctore aut a solertiore quodam dramatum compositore in fabulæ formam redigi; sic poemata præclara, fortasse etiam nondum edita, pantomimi ad suum usum convertebant ac scenæ aptabant, quippe

1. Juv., VI, 63. — Cf. Prud., *Hymn.*, X, 221 :

Cycnus stuprator peccat inter pulpita.....

2. Luc., *ibid.*, 57 : Οὐκ ἀγνοήσει δὲ (ὁ παντόμιμος) καὶ τὰς μυθικὰς μεταμορφώσεις ἁπάσας, ὅσαι εἰς δένδρα ἢ θηρία ἢ ὄρνεα ἠλλάγησαν καὶ ὅσαι ἐκ γυναικῶν ἄνδρες ἐγένοντο.

3. Macr., *Saturn.*, XVII, 5.

4. *Ner.*, 54.

quam fere soli detinerent [1]. Hæc una poetis lucri faciendi via supererat, quod quidem in Statio tam miserabiliter doluit Juvenalis :

> Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantum est?
> Curritur ad vocem jucundam, et carmen amicæ
> Thebaïdos, lætam fecit quum Statius urbem,
> Promisitque diem : tanta dulcedine captos
> Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
> Auditur : sed quum fregit subsellia versu,
> Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven [2].

Neque ipsius Statii sunt, quæ tum saltantur, cantica, sed secundum Statii inventionem ab ignobiliore poeta græce (qui nempe mos prævalebat) resarta. Nec magis ad verbum intelligenda sunt Ovidii verba :

> Carmina quod pleno saltari nostra theatro,
> Versibus et plaudi scribis, amice, meis... ;

hæc enim continuo subjicit :

> Nil equidem feci... tu scis hoc ipse... theatris [3];

nisi quis forte credat « Virgilii Turnum », quem saltaturus erat Nero, ab ipso Virgilio exactum fuisse. Item non ab Helvidii filio scriptum erat, sed excogitatum, scenicum illud exodium de Paride et Œnone, quo divortium suum cum uxore taxari suspicatus est Domitianus [4]. Neque magis crediderim ab ipso Lucano manum ultimam tredecim salticis fabulis impositam fuisse, quas illi Valla grammaticus adscribit [5].

1. Philostr., *Vit. Soph.*, II, 10, 8 : (M. Aurelii tempore) Ὁπότ' οὖν σπουδάζοιεν περὶ τὰς ἐγκυκλίους θέας (ὀρχηστῶν δ' αὗται τὸ ἐπίπαν)... — Cf. Id., *Apoll.*, IV, 21, 1.
2. VII, 81 et seq.
3. *Trist.*, V, 7, 25.
4. Suet., *Domit.*, 10.
5. Apud Suet., p. 78 (Reiffersch.).

Sane Juvenalem et alios temporis acti laudatores piguit quod viri poetica laude præstantes pantomimis inservire cogerentur, atque huc jam recidisset tragicorum poetarum conditio. Qui vero rebus actis se subjungere malebant quam eas deplorare, sibimet ipsi tanquam fucum faciebant, atque perinde saltationis commoda jactabant, ac si de vera integraque tragœdia locuti essent : hinc scilicet animis oblectationem ac νηπενθές aliquid, imo etiam morum institutionem infundi; hinc veterum fabularum memoriam perpetuo renovari [1]. Quam opinionem ultimis temporibus Libanius, non illa Luciani usus ironia, sed verecundus ac sinceræ antiquitatis venerabundus, tuebitur : « Quamdiu floruit tragicorum poetarum genus, communes populorum universorum præceptores in scenam illi prodibant. Verum ex quo recesserunt, atque ad scholarem disciplinam tantum opulentissimus quisque accessit, plerique autem illius exsortes fuerunt, deorum aliquis, vulgi ignorantiam miseratus, saltationem instituit quæ gentes antiqua facta edoceret. Nunc ideo faber non imperite de Priami Laiique genere cum eruditis colloquetur [2]. » Quæ nempe tragœdiam subverterat, saltatio tandem visa est ab interitu servavisse, quoniam aliquam illius umbram atque imaginem retinuerat.

1. Luc., *de Salt.*, 72, 79.
2. Liban., *Ibid.*, p. 391.

CAPUT V

DE TRAGOEDIARUM CANTORIBUS, DE CITHAROEDIS [1].

Scenicæ saltandi canendique artes arctissimo inter se vinculo junguntur; quarum persæpe communem auctores faciunt mentionem, præsertim vituperationem [2]. Utraque, sicut antiquæ tragœdiæ magna pars fuerat et pari apud populum favore floruerat, ita tandem fecit cum tragœdia divortium, ac seorsum suispte viribus in scena stetit, quum tamen nonnulla suæ originis indicia retineret. Hanc enim satis ipsa verba demonstrant; nam non modo saltari, ut videmus, sed etiam *cantari* dicta *tragœdia* est, atque solis tragœdiarum cantoribus *tragœdorum* nomen addictum.

E Suetonii fragmento, quod nescio num integrum retulerit Diomedes, videntur et musici et pantomimi simul in libertatem, ut ita dicam, se vindicavisse [3]. Statuimus

1. Boissier, *De la signification des mots « saltare et cantare tragœdiam. »* (*l. c.*). — Grysar, *Ueber das Canticum und den Chor in der römischen Tragödie :* III, die Citharœden und die *cantores tragœdiarum* in der Kaiserzeit (Acad. de Vienne, *Compt. rend.*, t. XV, 1855, p. 403 et suiv.).

2. Colum., I, præf. — Senec., *Contr.*, I, præf. : « Cantandi saltandique obscena studia. »

3. Suet., *de Vir. illustr.*, p. 11 (Reiffersch.) : « ...Nam dum potiores in-

tamen priores musicos rei experimentum fecisse et solos in theatro, vel ante Augusti principatum, munus suum implevisse ac selecta tragœdiarum cantica cecinisse. Citharœdi quoque jam tum solebant in scena comparere, ubi crebro per cantores pronuntiata sunt, quæ nuper edita fuerant, Virgilii *Bucolica* [1]. Non certo scimus de cujus generis carminibus puellas Ovidius hortetur,

> ...modo marmoreis referant audita theatris [2].

Quæ qualiacumque sint, constat, Augusto imperante, pro more receptum fuisse, ut in scenicis ludis non jam tantum fabulæ agerentur, sed etiam acroamata fierent solam musicorum operam requirentia. Quin et illis acroamatis nonnunquam tragœdiæ nomen inditum est. Caligula principe inter scenicos artifices maxime floruit Apelles *tragœdus*, quem princeps mire colebat atque æmulabatur, ipse vocatus a Suetonio *cantor*, a Dione ὑποκριτής : quæ nempe græca vox olim tragœdiarum actorem significabat, jam cantorem significat, tanquam cantatæ solum tragœdiæ supersint. Caligulam eumdem « tragœdo pronuncianti concinentem » inducit Suetonius, et hoc de illo verbis haudquaquam ambiguis narrat : « Quum assistens simulacro Jovis Apellem tragœdum consuluisset, uter illi major videretur, cunctantem flagellis discidit, collaudans

ferioribus, qui in communi ergasterio erant, servire dedignantur, se ipsos a comœdia separaverunt, ac sic factum est ut exemplo semel sumpto unusquisque artis suæ rem exsequi cœperit neque in comœdiam venire. »

1. Donat., *Vit. Virg.* (apud Suet., p. 60, Reiffersch.). — Cf. Serv., ad Ecl., VI, 11.

2. *Ars amat.*, III, 317.

subinde vocem deprecantis quasi etiam in gemitu prædulcem [1]. »

Mox Nero studuit cantus item peritia inclarescere et primus sui temporis haberi *tragœdus*. Inde constat quanto favore apud vulgus floreret illud artificum genus, quorum laudi vanissimus princeps invideret. Tum, imperante tragœdo, artis ipsius ita aucta est celebritas et quasi historiæ luce illustrata, ut amplissimam documentorum copiam inveniamus, de musicis illis scenicis inquisituri, quorum celeberrimus exstiterit de Cæsarum stirpe oriundus.

Titulos nonnullos intuenti parum ab antiquis tragœdiis differre novæ illæ videbuntur : inscribuntur enim *Orestes*, *Antigona*, *Thyestes*, *Œdipus*, *Alcmæo*, *Hercules*, *Canace* [2]. Attamen apud Suetonium occurrunt quibusdam heroum illorum aut heroidum nominibus epitheta adnexa, scilicet Hercules *insanus*, Orestes *matricida*, Œdipus *exsul* vel *excæcatus*, Canace *parturiens* [3]; animadvertimus igitur ex unius omnino personæ nomine hos ferme tragœdiarum titulos constare, imo unius unicum quid ac singulare agentis, quod videatur brevissimo tempore atque carmine posse confieri. Fabularum autem earum quænam forma fuerit, quis modus, facile conjicies, si modo reputaveris e canticis primum exortas fuisse, nam in diverbiis musicam tragœdia non receperat. In iis porro cantor unus apparet, una persona : lyricis ideo fabulis, ut salticis, non auctoris sed artificis nomen inhæret : qua nempe cantor aliquis palmam tulit, hæc

1. Dio Cass., LIX, 5 et 29. — Suet., *Calig.*, 33 et 54.
2. Philostr., *Apoll.*, IV, 39. — Dio Cass., LXIII, 9, 10, 22.
3. *Ner.*, 21, 46.

Apellis, Apollinaris illa, alia Epirotæ vel Neronis tragœdi dicta ad hominum notitiam pervenit [1]; quippe non inter fabulas certamen erat, sed inter cantores [2]. In illis certe, ut in salticis, verba aut semper aut plerumque græca [3] : quæ nempe, sicut apud nos recentiores quoque consuevit, præ cantu minimi momenti erant ac vix intellectu digna censebantur.

Ceterum omnia in cantore ad tragici actoris similitudinem composita. Cothurnatus enim scenam ingreditur; personam in ore gerit, vasto rostro patentem [4]; staturam humana majorem affectat. Itaque tragœdus quidam, ob Neronis invidiam Roma se proripere coactus, quum apud barbaras gentes quæstum faceret, ubi primum coram Hispalensibus tali cum ornatu in scenam processit, adstantes terruisse ac fugavisse narratur [5]. Præterea gestu carmina prosequebatur cantor, nunc catenis oneratus, nunc a ductore instar cæci comitatus, nunc etiam in *Canace* partum simulans. Qua quidem imitatione tam fida, non secus ac re vera, decipiebantur ignari; ita ut « tirunculus miles, positus ad custodiam aditus, quum Neronem ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrerit ferendæ opis gratia [6] ».

1. Philostr., *Apoll.*, IV, 39; V, 9 : Ἄιδων τὰ τοῦ Νέρωνος μέλη... Τὰς Νέρωνος μελῳδίας ἀκριβοῦν ἔφασκε.
2. Pseudo-Luc., *Ner.*, 9 : Ἐδόκει Νέρωνι τραγῳδοὺς νικᾶν. — Cf. Philostr., *Apoll.*, IV, 24, 2.
3. Suet., *Ner.*, 46.
4. Dio Cass., LXIII, 22. — Suet., *Ner.*, 21 : « Tragœdias quoque cantavit personatus; heroum deorumque, item heroidum at dearum personis effectis ad similitudinem oris sui, et feminæ prout quamque diligeret. »
5. Philostr., *Apoll.*, V, 9.
6. Suet., *Ner.*, 21. — Dio Cass., LXIII, 10 : ... Ἕτερος δὲ (στρατιώτης) ἐρομένου τινὸς « τί ποιεῖ ὁ αὐτοκράτωρ » ἀπεκρίνατο ὅτι τίκτει· καὶ γὰρ τὴν Κανάκην ὑπεκρίνετο. — Id., *ibid.*, 9 : ... Ἐδεῖτο ὡς δραπέτης, ἐποδηγεῖτο ὡς τυφλός...

Ad eam actionis fidem quandoque intererat ut cantori adessent adjutores. Hos videmus ad Isthmum juxta Neronem stantes, dum ille sub pulpitis exaudit eximiam Epirotæ cantoris vocem, ausi secum de palma decertare. At Nero rabidus, nec jam sui compos, quos secum adduxerat, in scenam ire jubet, quasi cantanti Epirotæ congruentem operam præbituros [1], atque fauces importuno æmulo cædere : ita, spectatoribus nequaquam caventibus, nil metuens ipse Epirotes subinde occiditur. Hos autem lyricarum tragœdiarum ministros credibile est, ut olim in veris tragœdiis, persæpe chori munus exegisse, quippe quem, ut decebat, novum quoque ludicrum admitteret [2]. Itaque choro committi usque dictæ sunt, si quæ fabulæ pulpito mandabantur [3].

Cantores tragœdiarum Caligulam ac Neronem conspeximus; ab hoc multi nobilium coacti sunt eamdem artem palam exercere. Summum quidem dedecus illis visum qui mores antiquos colebant,

> fœdo peregrina ad pulpita cantu
> Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ [4],

vel omnino laudem ambire quæ quondam histrionalis

1. Pseudo-Luc., *Ner.*, 19 : Εἰσπέμπει Νέρων ἐπ' ὀκριβάντων τοὺς ἑαυτοῦ ὑποκριτὰς οἷον προσήκοντάς τι τῷ πράγματι. — Suet., *Ner.*, 24 : « In tragico quodam actu, quum elapsum baculum cito resumpsisset, pavidus et metuens, ne ob delictum certamine submoveretur, non aliter confirmatus est quam adjurante *hypocrita*, non animadversum id inter exsultationes succlamationesque populi. »

2. Dio Cass., LXI, 19 : Εἰ δέ τις μὴ ἐδύνατο ἐν ἑτέρῳ τῳ θέαν παρασχεῖν ἐς τοὺς χοροὺς κατεχωρίζετο.

3. Claud., *in Eutrop.*, II, 364 :

> Illi tragicos meminere modos; his fabula Tereus,
> His necdum commissa choro cantatur Agave.

4. Juv., VIII, 225.

tantum haberetur [1]. Attamen multo plures eum morem non respuerunt, inter quos Thrasea, vir ille gravissimus idem et usui vulgato nunquam non obtemperans, haud recusavit « Patavii, unde ortus erat, ludis Cæsticis, a Trojano Antenore institutis, habitu tragico canere [2] ».

Ut saltatoribus tragœdi, sic tragœdis citharœdi crebro conferuntur : paululum enim discriminis inter utrosque interest, et artes ambas iidem artifices, ni fallimur, sæpius exercuerunt, quod de Nerone saltem compertum est. Cantus peritia utrisque communis; hoc vero citharœdis singulare, quod, dum modos pronuntiabant, e cithara simul eliciebant sonum concordem; quam rem uno et concinnissimo incerti poetæ versu expressam legimus :

Unum ex diversis vox digitique canunt [3].

Tragœdorum *fabulæ* proprie dicuntur, citharœdorum *cantiones* [4]; quanquam nescio an eadem carmina alterutro

1. Tac., *Ann.*, XVI, 219 :

..............nullis aconita propinquis
Miscuit, in scena nunquam cantavit Orestes.

Cf. Subrii Flavii verba de Pisone, apud Tac., *Ann.*, XV, 65 : « Non referre dedecori si citharœdus submoveretur et tragœdus succederet. »

2. Id., *ibid.*, 21. — Dio Cass., LXII, 26.

3. *Anthol. lat.*, 114, 10 (Riese). — Cf. *Ibid.*, 113 :

De citharœdo.
Musica contingens subtili stamina pulsu,
Ingreditur, vulgi auribus ut placeat.
Stat tactu cantuque potens, cui brachia linguæ
Concordant sensu conciliata pari.
Nam sic æquali ambo moderamine librat
Atque oris socias temperat arte manus,
Ut dubium tibi sit gemina dulcedine capto
Vox utrumque canat an lyra sola sonet.

4. Suet., *Ner.*, 24.

nomine designarentur, prout ea seu tragœdus exsequeretur, sive citharœdus. Nam trivialem citharœdum, auctore Philostrato, spectaverat Apollonius, Neronis *fabulas* in cauponis canentem [1]; et Neronianis cantionibus tituli plures sunt fabulisque ejusdem communes [2].

Utrique opus suum in scena peragebant [3], in commissionibus inter se congrediebantur; ne habitus quidem vestitusque dispar, nam citharœdi stolam viridem atque auro pictam gerebant [4], cothurnis incedebant [5], omnia denique tragœdis similia habebant, præterquam quod personis nullis utebantur. Citharœdorum qui commissioni interfuturi erant nominibus in albo conscriptis, quisque ordine suo, prout sortitus erat, in scenam ingrediebatur: ingredientem præco nuntiabat, simul et quibus ille cantionibus decertaturus esset [6]. Tum, rogata adsistentium benevolentia [7], citharam sumebat gemmis ornatam [8], ac prætentabat; dein voce et organo simul cantare incipiebat. Lex autem erat « ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea quam indutui gerebat veste, detergeret; ut nulla oris aut narium excrementa viserentur [9]. » Quum autem lyram pulsare inter canendum cogeretur, non

1. Philostr., *Apoll.*, IV, 39 : Ἦν δ' αὐτῷ καὶ κιθάρα καὶ ἡ πρόσφορος τῷ κιθαρίζειν σκευὴ πᾶσα... Καὶ βραχὺν διεξελθὼν ὕμνον τοῦ Νέρωνος ἐπῆγε μέλη τὰ μὲν ἐξ Ὀρεστείας, τὰ δ' ἐξ Ἀντιγόνης, τὰ δ' ὁποθενοῦν τῶν τραγῳδουμένων αὐτῷ. — Cf. Suet., *Vitell.*, 11 ubi de citharœdo : « inchoanti Neroniana *cantica.* »
2. Philostr., *ibid.*, V, 7.
3. Suet., *Ner.*, 20.
4. Dio Cass., LXIII, 6. — Juv., X, 213.
5. Dio Cass., LXIII, 8.
6. Nero præcones sibi assumpsit viros nobiles, Gallionem vel Clurium; præfectos etiam prætorii sibi ministros adhibuit, qui citharam gestantes sequerentur (Suet., *Ner.*, 21; Dio Cass., LXI, 20).
7. Dio Cass., *ibid.* : Κύριοί μου, εὐμενῶς μου ἀκούσατε.
8. Juv., VI, 381.
9. Tac., *Ann.*, XVI, 4. — Cf. Suet., *Ner.*, 24.

poterat agendi veritate tragœdum æmulari; nec tamen stabat immotus, nam aliquando procedebat, recedebat, nutus carmini convenientes faciebat [1]. Postremo « genu flectebat, et cœtum manu veneratus, sententias judicum opperiebatur [2] ».

Sunt igitur tragœdi ac citharædi minimo discrimine separati, musici tantum utrique artifices, neque quidquam aliud e vetere tragœdia retinuerunt quam supellectilis partem aut vana personarum nomina. Cresphontes autem an Œdipus cantioni materiam præbeat, quid ad rem? Ad cantorem unum attenditur. Imo citharœdicæ artis pars præstantior non in voce est, sed in cithara docte tractanda; fidibus, ut ait Juvenalis, præmium decernitur [3]. Quidni ludicra tum ederentur, in quibus nil omnino poetici superesset, uni musicæ locus relinqueretur? Jam Seneca de multitudine qua theatrum Neapolitanum « fartum est » : « Hoc, inquit, ingenti studio quis sit pythaules bonus judicatur; habet tibicen quoque græcus... concursum [4]. » Hos etiam inter modulatores Nero princeps cupit enitere; qui, nisi ab imperio dejiciatur, se pollicetur hydraulam et choraulam et utricularium esse prodituruin [5]. Mox Domitianus quinquennale Jovis Capi-

1. Pseudo-Luc., *Ner.*, 6.
2. Tac., *Ann.*, XVI, 4.
3. Juv., VI, 387 :

> ...An Capitolinam deberet Pollio quercum
> Accipere et fidibus promittere.

Id., *ibid.*, 390 :

> ...Stetit ante aram, nec turpe putavit
> Pro cithara velare caput.

4. Senec., *Epist.*, 76.
5. Suet., *Ner.*, 54.

tolini certamen non citharœdis solum, sed chorocitharistis etiam et psilocitharistis instituet [1]. Bonus ergo vates questus erat Horatius quod carminibus spissa nimis theatra officerent et « fidibus severis crevissent voces » : jam tum enim strepitum tubæ adauxerant, neque mox deerunt cornua [2]. Nunc Senecam evolve : « In commissionibus nostris plus cantorum est quam in theatris olim spectatorum fuit; quum omnes vias ordo canentium implevit, et cavea æneatoribus cincta est, et ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis [3]. » Miserum poetam, cujus poema ne volentes quidem auditores percipere queant! Bene est igitur quod de filio instituendo Martialis patri cuidam suadet :

> Si versus facit, abdices poetam.
> Artes discere vult pecuniosas?
> Fac, discat citharœdus, aut choraules [4].

Illis qui « vocem vendunt prætoribus [5] », omni musicorum genti, largitiones suas impendunt imperatores [6], ut avarus ille Galba Cano choraulæ mercedem, malignam

1. Id., *Domit*, 4.
2. Juv., X, 213 :

> Quis refert, magni sedeat qua parte theatri,
> Qui vix cornicines exaudiet atque tubarum
> Concentus?

3. Senec., *Epist.*, 84.
4. V, 56, 7. — Cf. III, 3, 7 :

> Poeta
> Exierat; veniet quum citharœdus erit.

5. Juv., VI, 380.
6. Suet., *Vesp.*, 19 : « Apollinari tragœdo quadringenta, Terpno Diodoroque citharœdis ducena, nonnullis centena, quibus minimum quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. »

quidem, at si dantem respexeris, memorabilem, dederit [1]. Id denique obtinent, ut saltatores, venustatis præmium : a nobilissimis feminis amantur [2].

Ut rem concludam, citius ac planius originem suam tragœdia lyrica quam saltatio renuntiavit : in hac usque duravit heroicarum fabularum quoddam simulacrum, antiquitatum amatoribus prædulce; in illa vero nullum mox superfuit nisi canoris oblectamentum, adeo neglecta quæ cantabatur fabula, ut nullius tragœdi, nisi Neronis, canticorum argumenta noverimus. Post tragœdos citharœdi, dein modulatores omnis generis successerunt; sublato tandem carmine, ultimum evanuisse quod manebat in his ludicris antiquæ tragœdiæ vestigium, vix homines senserunt.

1. Suet., *Galb.*, 12.
2. Juv., VI, 73 et seq.; 379 et seq.

CAPUT VI

DE TRAGOEDIARUM RECITATIONIBUS, DE POMPONIO SECUNDO.

Hanc tragici poematis depravationem dum intuemur, usque ad ejus temporis terminos progressi sumus, quo vix illius artis memoria supersit. Interim autem credendum est non omnino desertam fuisse tragœdiam, et scriptores aliquot exstitisse qui tempori non cederent. Quod ita est : nam tragicos poetas usque ad Antoninorum ætatem multos novimus, et fabulas Senecæ inscriptas decem servavimus (ut in hoc numero *Octaviam*, quæ profecto alterius auctoris est, editorum more, complectamur).

Verum illas non actas fuisse, sed recitatas, jam pro certo tenetur [1]. De pluribus aliis qui post Augustum hanc musam excoluerunt idem aut manifestum est aut fere certo conjicitur : in hac ergo satis ampla tragicorum copia paucissimos fuisse vere scenicos constat. Nec tamen e scenis, recitationibus quam maxime vigentibus, prorsus tragœdia migraverat. Describitur enim a Seneca tragicus

1. Vid. Boissier, *Les tragédies de Sénèque ont-elles été représentées?* (*Journ. de l'Instr. publ.*, 1862, 17 et 20 juillet).

ille histrio, « qui in scena latus incedit et hæc resupinus dicit :

> En impero Argis, sceptra mihi liquit Pelops,
> Qua Ponto ab Helles atque Ionio mari
> Urgetur Isthmus [1]; »

at fieri potest ut ad veterem fabulam repositam hic locus pertineat. Pomponius vero Secundus, quem Quintilianus laudat ut tragicorum « quos viderit longe principem [2] », imperante Claudio « carmina scenæ dabat [3] ». Plinius junior operæ pretium existimat tragœdiarum recitatores excusare, « quæ, ut ait, non auditiorum sed scenam et actores poscant [4] » ; nullius autem veniæ indigerent illi, si tum temporis præclusus fuisset his poematis theatri accessus. Jure igitur intelligemus tragicos poetas esse quibus, teste Quintiliano, « et optimis multum gratiæ adjiciant scenici actores, et vilissimis etiam impetrent aures, ut, quibus nullus sit in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris [5] ». Idem ait se « vidisse sæpe histriones atque comœdos, quum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi [6] » : quis scilicet tragœdiæ non referat tam miserabilem actum ac lacrymosum? Auctorum testimonia de tragœdia percensenti, nulla insuper occurrunt quæ non possint ad recitationes, post Augusti sæculum dico, videri applicanda : hoc tamen satis est unde concludamus tragœdiam in theatris, ferme ad M. Aurelii principatum, sæpissime

1. Senec., *Epist.*, 80. — Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 249.
2. X, 1, 98.
3. Tac., *Ann.*, XI, 13.
4. *Epist.*, VIII, 17.
5. XI, 3, 4.
6. VI, 2, 35.

saltatam vel cantatam fuisse, nonnunquam tamen more majorum actam.

Quod si nunc tragicorum ejus ætatis vestigia lustremus, certum erit jam multo majus recitatis tragœdiis studium quam actis contingere : nam aliæ, usu paulatim elabente quasi precario innixæ, consenescunt magis quam perstant; aliis vero multum favet ipsa temporum conditio ac civitatis status.

§ 1. Quid tragœdiæ contulerit declamatorum disciplina.

Litteras romanas post Augusti mortem sustentaverunt simul et corruperunt duæ, quæ tum maxime vigere cœperunt, consuetudines; hæ sunt recitationes et declamatorum disciplina. Nam per eas habuere scriptores quum semet erudiendi, tum studia proferendi rationem, non bonam, sed tamen aliquam. At ex utrisque vitium idem in omnis generis opera irrepsit et quasi virtus increbuit, verborum major quam rerum sollicitudo, præterea mos ficta cum veris, antiqua cum recentioribus, innoxia cum pugnatoriis commiscendi.

Tragicorum primus est Ovidius in quo novæ illius disciplinæ manifesta signa deprehendantur; primus enim aperte sensit quid exoriens ætas optaret, et, quum posset inter scenicos eminere, eam laudem ut vetustiorem dedignatus est. « Quum studeret, ait Seneca, habebatur bonus declamator [1] »; ideo sæpius in ejus rhetoris libro laudatur [2], et Porcio Latroni magistro singulariter adhæ-

1. *Controv.*, II, 10.
2. Senec., *Suas.*, III; *Contr.*, VII, 16; IX, 28; X, 33.

serat. Porro, quum juvenis poesim auspicatus est, *Medeam* suam non in theatro edidit, sed iis auditoriis commisisse videtur, ubi commodisse proferret « comptum et amabile ingenium », neque quidquam ultra concupivit.

Mox autem fuere qui poeticis lucubrationibus conarentur aut hominum mores informare aut etiam (quod periculosius) aliquid de rebus publicis insinuare. Huc præcipue spectant quæ Senecæ inscribuntur tragœdiæ. Cornutus autem ac Persius, si inter poetas tragicos recipiendi esse censebuntur, profecto in eodem ordine strabunt [1]. Nec dubium quin *Medea*, quam Lucanus inchoaverat atque imperfectam reliquit, extremo nempe vitæ tempore susceptam [2], fuerit ad idem exemplar composita. Has omnes sententiis refertas fuisse putandum est, quibus antiqui mores, amissa libertas, valde extollerentur; ad scenam ideo non accessisse satis per se constat. Imo, ut opinor, ne in auditoriis quidem recitatæ coram publico fuerunt, sed in secretis cœtibus, ubi intimus tantum quisque amicorum vel consentientium assisteret; neque enim impune cuivis vulgarentur quæ possent haberi in principem maledicta. Quod sane persensit, imperante Tiberio, Mamercus Æmilius Scaurus. Fecerat ille tragœdiam *Atreum*, in quam detulisse ferebatur locum ex Euripidis *Phœnicibus* conversum,

Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας χρεὼν φέρειν :

occultam autem fuisse recitationem ex ipso Taciti

1. *Vita Persii :* « Cornutus illo tempore tragicus fuit... Scripserat in pueritia Flaccus etiam prætextam *Vescio* (?). — Vid. Martha, *Un poète stoïcien* (*Les moralistes sous l'empire romain*, p. 114); M. Hertz, *De Scævo Memore poeta tragico comm.* (Vratislav., 1869; p. 4, not. 4).
2. Valla, *Vit. Luc.* (apud Suet., p. 78, Reiffersch.).

testimonio patet, memorantis fictos ab accusatoribus fuisse versus qui in Tiberium flecterentur. At princeps pronus in suspicionem : « Ajacem ego illum faciam », inquit, jussitque semet ipsum necare [1].

In Senecæ fabulis quam multa occursant generis illius convicia! Nam dum videtur auctor fictos heroas inducere, revera studet continuam præsentis tyrannidis imaginem excitare, de qua legentibus audientibusve vividam indignationem moveat. Atroces utique reges adsunt, in quibus præter nomen cetera quæque manifestam præbent romanorum principum effigiem. Ecquis enim erit qui credat Atreum his designari ?

Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cujus ad nutum posuere bella
Medus et Phœbi propioris Indus,
Et Daæ Parthis equitem minati,
Anxius sceptrum tenet, et moventes
Cuncta divinat metuitque casus
Mobiles rerum dubiumque tempus [2].

Audi quæ Atreus aut Lycus profantur :

Perimat tyrannus lenis : in regno meo
Mors impetratur [3].
...Rapta... trepida manu
Sceptra obtinentur : omnis in ferro est salus ;
Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis [4].

Quæ quum veri auditores exciperent, ecquis non recordaretur hesterna Tiberii vel Caligulæ facinora ?

1. Tac., *Ann.*, VI, 29. — Dio Cass., LVIII, 24. — Cf. Suet., *Tib.*, 61 : « Objectum est poetæ quod in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset. »
2. Senec., *Thyest.*, 599 et seq.
3. Id., *ibid.*, 247.
4. Id., *Herc. fur.*, 341.

Contra stant qui justitiam atque, ut ait Tacitus, « conscientiam generis humani » fortiter ulciscantur :

Dominare tumidus ; spiritus altos gere :
Sequitur superbos ultor a tergo deus [1].
  Vos, quibus rector maris atque terræ
  Jus dedit magnum necis atque vitæ,
  Ponite inflatos tumidosque vultus :
  Quidquid a vobis minor extimescit,
  Major hoc vobis dominus minatur [2].

Pauca de multis prælibamus; nam in his fabulis solemnis est sævientes inter atque oppressos conflictatio, qui seu strictim ac petulanter jurgantur, sive frequentius longas in orationes evagantur et videntur concionem assistentium quasi de rostris alloqui.

Quid plura ? Nil aliud quam poetice declamant. Idem omnino in hisce tragœdiis fieri solet, quod in rhetorum scholis,

Quum perimit sævos classis numerosa tyrannos [3].

Evolve Controversiarum argumenta : in tyrannorum sceleribus plerumque versantur, quæ discipuli partim defendant, partim insectentur.

Huc advocantur a declamantibus *quæstiones*, vel communes loci; huc *colores*, vel recta, si congruat, ratiocinatio, sin minus, fucus ac sophismata; quæ quidem omnia apud Senecam abunde suppetunt. Nam qui

Consilium dederant Syllæ privatus ut altum
Dormiret [4],

1. Senec., *ibid.*, 384.
2. Id., *Thyest.*, 607.
3. Juv., VII, 150.
4. Id., I, 15.

non aliam profecto *quæstionem* refricuerant quam ille apud nostrum Thyestes :

> Dum excelsus steti,
> Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
> Ferrum timere lateris. O quantum bonum est
> Obstare nulli, capere securas dapes
> Humi jacentem! Scelera non intrant casas,
> Tutusque mensa capitur angusta cibus :
> Venenum in auro bibitur [1].

Audi nunc Antigonam subtilibus sententiolis, instar causidici, patri suadentem ne sibimet ipse velit mortem consciscere :

> ... Non est, ut putas, virtus, pater,
> Timere vitam, nec malis ingentibus
> Obstare, nec se vertere, ac retro dare.
> Qui fata proculcavit, ac vitæ bona
> Projecit, atque abscidit, et casus suos
> Oneravit ipse, cui deo nullo est opus,
> Quare ille mortem cupiat, aut quare petat?
> Utrumque timidi est : *nemo contempsit mori,*
> *Qui concupivit.* Cujus haud ultra mala
> Exire possunt, in loco tuto est situs.
> Quis jam deorum (velle fac) quidquam potest
> Malis tuis adjicere? Jam nec tu potes,
> Nisi hoc, *ut esse te putes dignum nece.*
> *Non es;* nec ulla pectus hoc culpa attigit.
> *Et hoc magis te, genitor, insontem voca,*
> *Quod innocens es, diis quoque invitis...*
> .... Quid te ad infernas agit
> Sedes? Quid ex his pellit? *Ut careas die?*
> *Cares;* ut altis nobilem muris domum,
> Patriamque fugias? *Patria tibi vivo periit.*
> Natos fugis, matremque? Ab aspectu omnium
> Fortuna te submovit, et *quidquid potest*
> *Auferre cuiquam mors, tibi hæc vita abstulit* [2].

1. Senec., *Thyest.*, 447 et seq.
2. Id., *Phœniss.*, 190 et seq.

Quam frigida sint hæc, quam a veritate remota, supervacaneum est adnotare; neque enim magis teneræ filiæ hic est sermo, quam nescio cujus argute philosophantis. Quam autem ingeniosa, quis non miretur? Tales nempe *colores* Senecæ pater sedulo collegit, a Fabiano vel Porcio Latrone excogitatos. Quantum igitur in tragœdiis jam recitatis dignosceretur rhetorum disciplina, quantum placeret ille fucatus decor, pro re certa teneamus.

In illas etiam e declamatoriis exercitationibus permanaverunt sensus amissæ libertatis usque tenaces et illa, quam jam notavimus, in imperatoriam potestatem contumacia. Forensem, non scholarem eloquentiam pacaverat Augustus; apud rhetores autem usque discebant juvenes Tullium pro libertate morientem laudibus extollere [1], et proprie declamatores erant, qui sub eo principe licentioris styli pœnam dederunt, Labienus et Cassius Severus; quumque popularis eloquentia obticuisset, nusquam poterant aptius quam in tragœdiis, schola demum egressi, liberæ mentis viri et oratorias dotes, quas excoluerant, ostentare, simul et exprimere quid de reipublicæ statu dolerent. Suasorias, inquam, poetico sermone tractabant; quo confidebant se, quantum ferret tempus, antiquis oratoribus propiores esse, quam si apud judices pro clientelis, pro necessariis, coloniis etiam ac municipiis, loquerentur. Apud Tacitum enim Maternus, « Omissis, inquit, forensium causarum angustiis, in quibus mihi satis superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam [2]. » Tragœdias suas significat.

1. Vide Senec., *Suasor.*, VIII.
2. *Dial. de or.*, 4.

Maternus ille haud scio an idem sit, quem Dio narrat propter aliquam in tyrannos declamationem a Domitiano occisum [1]. Neque enim absurdum est, qui Vespasiani felici atque, ut ipse ait, aurea ætate [2] potentium animos consulto offenderet [3], cum impotenti et iracundo principi bilem movisse. Tragœdiis potissimum scribendis ille se voverat, quibus non modo res publicas in universum attingeret, sed etiam quosdam viros maxime invisos lacesseret; et gloriabatur se improbam Vatinii cujusdam potentiam tali poemate fregisse . Præposteram et quietis temporibus indecentem tantam illius pugnacitatem amici arbitrabantur; at ille, haudquaquam sedatus, imo græcas fabulas vix sibi sat esse ratus, quibus suos sensus patefaceret, ad romanas etiam historias et nomina, Domitium, Catonem recurrebat [5]; atque adhortantibus ut mucronem suum hebetaret, contra pollicebatur, si qua omisisset Cato, mox sequenti recitatione Thyestem esse dicturum [6]. Frequens in urbe fiebat de illius recitationibus sermo, minus tamen consilium ipsum quam facundiam laudantium; namque et in auditoriis « crambe repetita [7] » jam videri cœperat illud famosarum tragœdiarum genus. « Cui bono est, interrogat Aper, si apud te Agamemnon aut Jason diserte loquitur [8]? » At ille, quum nullam operum suorum utilitatem prætendere valeat, « concitatus et instinctus [9] »

1. Dio Cass., LXVII, 12.
2. *Dial. de orat.*, 12.
3. *Ibid.*, 2.
4. *Ibid.*, 11. Locus est incertissimæ lectionis, et qui non possit nisi per audacem conjecturam emendari.
5. Unde nonnulli conjecerunt illius esse *Octaviam*.
6. *Dial. de or.*, 3.
7. Juv., VII, 154.
8. *Dial. de or.*, 9.
9. *Ibid.*, 14.

poesis commoda prædicat, imo « loca illa pura et innocentia [1] » in quæ secedat animus; tanquam sibi non conscius sit vividius se carmina recitando, quam si causas oraret, prœliari : videlicet « effervescit in illo vis pulcherrimæ naturæ », præterita tempora venerantis, præsentia fastidientis, nihil vulgare aut humile sentientis, ut a Tacito dicatur « sui oblitus tantum Catonem cogitasse [2] ». Is est igitur Maternus, ut declamandi consuetudine suum ingenium mutaverit, et quidquid scribere adoriatur, fiat declamatio. Verum, quo tempore inducuntur illi de causis corruptæ eloquentiæ disputantes, ut redit pax in civitatem, ita subinde marcent ac senescunt quæcumque in litteris fuerant instar telorum usitata : innocua fit ipsa rhetorica, cujus præceptor Quintilianus e fisco salarium accipit ; declamatorias exercitationes multi jamdudum deriserunt, mox conficiet Juvenalis; in tragœdia denique ultimus est Curiatius Maternus quem sciamus iram exercuisse. Nulla quidem hæc jactura fuit, quantum ad artis poeticæ sinceritatem attinet; tragœdiæ vero, quum tot alioqui causis exolesceret, non parum nocuit, quod a publicis etiam rebus, ut a vena deficiente, prohiberetur.

§ 2. De Pomponio Secundo et de romanæ tragœdiæ exitio.

Juxta fabulas illas velut pugnatorias, non omnino neglectum est, vel sub pessimis principibus, et solum tandem sub Flavianis et Antoninis superfuit, antiquius

1. *Dial. de or.*, 12.
2. *Ibid.*, 2.

sanctiusque tragœdiæ genus, cujus unum munus est otiosas mentes oblectare.

In quo singulariter emicuit, imperante Claudio, Pomponius Secundus. Non fuit ille novo civitatis ordini infensus, qui consulatum obtinuerit atque triumphali honore, legatus Cæsaris in Germania, donatus sit : verum quamlibet domi militiæque inclaruerit, testis est Tacitus « carminum gloriam præcellere [1] ». Fuerat a priore Plinio valde dilectus, qui vitam ejus duobus libris narravit [2]. Ejus recitationibus Quintilianus « juvenis admodum » adfuerat, quem unum dignatus est magnis superiorum ætatum tragicis adscribere [3] ; idem tamen auctor est non nihil in Pomponio desideratum fuisse « quem senes parum tragicum putarent, eruditione ac nitore præstare confiterentur [4]. » Inde verisimile foret illius ea merita fuisse quæ magis in auditoriis quam in theatro probarentur ; neque mirum, populi theatralem licentiam in eum, ob carmina scenæ data, tam probrose erupisse, ut Claudius hanc insolentiam severis edictis represserit [5]. Itaque crediderim Pomponii fabulas multo sæpius recitatas fuisse quam theatro mandatas ; eas tantum nempe in scenam, antiquo more, evectas fuisse, quæ maxime in auditoriis placuissent. Attamen, seu quia pulchritudinis plus quam dulcedinis habebant (quocirca, ut opinor, parum tragicæ videbantur), seu quod populus levior in diem gravius hoc poematum genus ægre tolerabat, quin

1. Tac., *Ann.*, XI, 13; XII, 27, 28.
2. Plin., *Epist.*, III, 5, 3. — Plin., *H. N.*, XIV, 4.
3. Cf. *Dial. de or.*, 13 : « Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ cesserit. »
4. X, 1, 98.
5. Tac., *Ann.*, XI, 13.

etiam gaudebat in consularem virum, poetam eumdem, desævire, male vertit illi quod sese intra auditoria non continuerit.

Illic enim cum litteratis tantum viris, cœtu vere urbano, poetæ res erat; ante quos Pomponius carmina sua recitabat, grammaticas etiam quæstiones, quarum studiosus erat, libere præfando disputabat. Narrat enim Quintilianus eum in aliqua *præfatione* [1] adversus Senecam disseruisse an *gradus eliminat* in tragœdia dici oportuisset [2], quæ quidem verborum junctura redolet antiquitatem ac veterum tragicorum auctoritate innititur [3], ideoque Pomponio, prout antiquario [4], grata videri debuit.

Attamen subtilis ille philologus ac styli studiosus artifex non doctorum modo suffragia concupivit, quæ intra privatos arctosque parietes quærerentur, sed viribus suis confisus experiri voluit quidnam in latiore scena et coram publico valeret efficere. Non, ut Pollio, ante intimum quemque amicum ac selectissimum auditorem sua carmina recitare gaudebat, quorum nec monitis multum attendebat nec laudibus, ut opinor, prorsus oblectabatur. « Itaque... si quid forte familiarior amicus tollendum, ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat : « Ad po-« pulum provoco » ; atque ita ex populi vel silentio vel assensu aut suam aut amici sententiam sequebatur [5]. » Sic collige : sinebat, imo volebat, in auditorium quem-

1. Cf. Plin., *Epist.*, I, 13, 2 : « Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit librum... »
2. Quint., VIII, 3, 31.
3. Cf. Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 309.
4. Priscian., t. II, p. 538; Diomed., t. I, p. 71 (Keil).
5. Plin., *Epist.*, VII, 17, 11.

libet admitti, non tantum « certos electosque », atque ideo audientium consessum theatrali quam simillimum fieri[1]; audacior ille adeo qui theatrum ne verum quidem reformidaverit, sed ad extremum sibi constiterit, vulgi nempe suffragia magis quam paucorum sectatus.

Pomponii fabulas aliquot actas fuisse puto, omnes vero recitatas ; item aliorum. Causam Plinius expedit : « Lego omnia, ut omnia emendem[2]. » Quo peracto tandem opus edebatur, purius quidem et ex virorum doctorum sententia correctum. Plinius idem Octavium amicum, qui carmina componebat, sic adhortatur : « De editione quidem interim, ut voles : recita saltem quo magis libeat emittere[3]. » Maternum quoque quum visat Secundus postero die quam ille *Catonem* recitavisset, deprehendatque librum inter manus habentem, ita percontatur : «.. An ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares, et, sublatis si qua pravæ interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem sed securiorem[4]? » Meminimus denique quam Statii Juvenalem misereat, ab histrione Paride coacti suam *Agaven* intactam, id est ne recitatione quidem vulgatam, vendere.

Ex ea lege percipiemus cur actarum eo tempore fabularum nusquam sit apud auctores satis certa commemoratio, recitatarum vero multifariam. Per recitationem

1. Nam ea voce « ad populum provoco », in Plinii narratione, non theatralis consessus significatur ; tota hæc epistola ad recitationes spectat. — Cf. *Dial. de orat.*, 10 : « Sentio quid responderi possit : elici ingentes ex his *assensus*, hæc in ipsis *auditoriis* præcipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. »

2. *Epist.*, VIII, 21, 4.

3. *Ibid.*, II, 10, 6.

4. *Dial. de orat.*, 3.

enim judicio optimorum offerebantur; dein si forte scenam ingrediebantur, nihil jam in iis novi apparebat. Quod equidem sub Antoninis principibus perraro credam evenisse; sin aliter, Juvenalis in sua septima de scriptoribus satira non omnino theatralem gloriam prætermisisset, quum tamdiu in recitationibus commoretur [1]. Item, in *dialogo de oratoribus*, Aper recitantium miserias fusius enumerat [2], neque aut ille aut quisquam alius asserit poetis saltem tragicis certiorem et feliciorem aliquam frugem posse contingere.

Nullius momenti tragœdias citat Juvenalis,

Alcithoen Pacci, *Thebas* et *Terea* Fausti [3];

Martialis Bassi *Colchida*, *Thyestem*, *Nioben*, *Andromachen*, jam oblivione mersas [4]; tumentis Flacci *Terea*, *Thyestem*, *Dædalum*, *Polyphemum* [5]. Rursus apud eumdem Martialem summa laude ornantur Canius Rufus.

« In cothurnis horridus Sophocleis [6] »;

Varro, « Sophocleo cothurno non infitiandus [7] »; denique Scævus Memor, Turni poetæ frater,

« Clarus fronde Jovis, romani fama cothurni [8]. »

1. VII, 71.

Poscimus ut sit
Non minor antiqua Rubrenus Lappa cothurno
Cujus et alveolos et lænam pignerat Atreus.

2. Cap. 9.
3. VII, 12.
4. V, 53.
5. IV, 49.
6. III, 20, 7.
7. V, 30.
8. XI, 10. — Cujus unum vide fragmentum apud Ribbeck, *Trag. fragm.*, p. 232.

Cothurnus nempe hic est, tam sæpe laudatus, non qui pulpita feriat, sed quo Materni [1] aliorumque tragœdiæ, etsi recitatæ, tum vulgo soleant elegantiorem in modum designari. Totum denique genus sic ab irato notat Juvenalis :

> Impune diem consumpserit ingens
> *Telephus?* aut summi plena jam margine libri
> Scriptus, et in tergo, necdum finitus *Orestes* [2]?

Non unum enim aut alterum tragicæ, quæ tunc viget, musæ specimen adumbrat; quantum totius generis tædium ferat aperte profitetur. Quod judicium æque de Senecæ fabulis pronuntiaretur. Etenim, etiamsi non mediocrem illæ modum excedunt, tamen quam longæ videntur legentibus! Quam multa in illis loquuntur personæ! Quam cunctanter actio procedit! Cujus summa plerumque infinitis implicitisque prologis exponitur; tum continui excursus, narrationes, descriptiones, controversiæ; nunquam ad eventum festinatur; nulla totum ponendi cura; sed pars unaquæque, tanquam singillatim inspicienda sit, magis ut suispte fulgeat lenociniis quam ut operi reliquo conveniat, exspatiatur. Personæ autem mera sunt simulacra, quæ vastas orationes aut diserte producant aut indulgenter audiant, reipsa nil veri, nil vividi sentiant; Œdipus enim, quum de sua sorte, quam præsaga mali mens reformidat, certior fieri exardeat, nec moræ cujusquam, ut videtur, patiens sit, quietus exaudit necromantiam affatim a Creonte narratam [3]; Theseus item, quum modo acceperit suum filium a portentosa

1. *Dial. de or.*, 10 : « Nec solum cothurnum vestrum... »
2. I, 4.
3. Senec., *Œdip.*, 530-659.

bellua fuisse interemptum, loquacem nuntium ultro interrogat :

Quis habitus ille corporis vasti fuit [1]?

Nec minorem indulgentiam facundo nuntio præstat Andromacha :

Ede (ait) et enarra omnia [2],

rem scilicet lepidam et auditu gratissimam, mactatam in Achillis tumulo Polyxenam missumque de muris Trojanis Astyanactem. In Senecæ tragœdiis igitur possumus insita illis omnibus vitia deprehendere, quæ recitationum auditoribus offerebantur; singularum partium fucatum nitorem, poetam ipsum pro personis ubique et composite loquentem, operis summam et a vero abhorrentem et nimio cultu molestam. Quamvis apud Martialem, qui quidem, ingenuusne sit gratulator, an potius assentator, plerumque ambigitur, tres tragœdiarum auctores occurrant vulgaribus laudibus exornati ; ex eorum testimonio qui rem ipsam in universum judicant, manifestum est tragicam poesim apud Romanos ipsas vivendi causas amisisse. Quam nos docebit Tertullianus jam a theatris prorsus migravisse; ubi nempe « alia gestu et corporis fluxu..., alia vero et voce et organis et lyris transigantur [3] » ; hoc est saltatione tantum et musica. In auditoriis quomodo potuisset superesse, quum nullo secretiore sensu jam condiretur, et ipsum recitandi morem, ut Pli-

1. Senec., *Hippol.*, 1035.
2. *Id.*, *Troad.*, 1068.
3. Tertull., *De spect.* (apud Suet., p. 340, Reiffersch).

nius ipse invitus fatetur [1], gliscentia in diem hominum fastidia subruerent? Confidendum est igitur, ut jam nulla tragœdiæ vestigia dispiciuntur, ita illam exitio jamdudum instante demum esse sublatam.

1. *Epist.*, I, 13.

CONCLUSIO

Nunc haudquaquam ambigua hæc sententia est, quam in hujus opusculi principio inseruimus : « in Attio aut circa eum tragœdiam Romanorum esse. » Hoc Velleius et acute sensit et unus omnium plane confessus est, florentem illius artis ætatem in ipsis romanarum litterarum primordiis consistere; neque vana tragœdiarum specie deceptus est, quæ vel in scena dominari cœperant, salticæ videlicet lyricæve, revera autem nil aliud erant quam oculorum auriumque oblectamentum ; vel in auditoria migraverant, scenicarum artium exsortes. Solis enim antiquioribus tragicis contigerat ut poemata in vera theatri luce exhiberent, et aliquo populi favore niterentur, et dignum haberent operæ præmium atque incitamentum.

Atenim apud Græcos quoque tragicæ poesis initium idem ac fastigium fuerat. Hoc vero apud Romanos diversum, quod priores opus eximie inchoaverant, nec tamen eo excellentiæ provexerant, ut posteriores non sperare auderent melius sibi rem esse successuram. Itaque nec Cæsar Strabo vivente adhuc Attio, nec Augusti sæculo

Varius, nec tandem Pomponius Secundus sibi sunt ita diffisi, ut nollent in scena cum antiquis conferri. Nec sane credebant homines in sola tragœdia non posse romanum ingenium initia sua supergredi; quod contra posse fieri, et qua lege fieri posset, aperte pronuntiavit Horatius. Quin etiam ille hanc potissimum laudem Romano decernebat, quod tragicum satis spiraret. Ideo poesis romanæ conditores, ut ne tragœdiæ quidem multum curæ impendebant, ita tamen doctis viris videbantur in ea felicissime Græcorum vestigiis institisse, imo non audaciæ alicujus expertes fuisse.

Verum quandocumque scenicæ poesi studes, theatrum respice, dico spectatores. Quorum quidem Romæ immensa est multitudo, universus nempe populus; in hac autem quam pauci sunt qui gravem sublimemque tragici poematis venustatem perspiciant, aut illa delectentur? Hoc igitur a principio romanam tragœdiam perdidit, utpote non prorsus arte carentem, nec illis similem fabulis quæ apud nos, medio ævo, piam credulamque turbam ipsa simplicitate detinuerunt, sed Græco lepore inspersam, et cujus optimæ quæque virtutes ineruditos plane fugerent. Porro necesse fuit ut, incultæ multitudinis gratia, plus æquo valerent in tragico ludicro histrionalis gestus, cantus, apparatus, quidquid denique puerilem in modum spectantes juvaret. Mox quibus id concessum erat, quia numero præstabant, adeo theatro potiti sunt, ut nihil aliud quam nugas sibi præberi sinerent; quod, imperante Augusto, jam usu receptum et quasi lege constitutum est. Tum igitur, quum cetera poesis genera apud Romanos maxime pollerent, tragœdiam ignorantia vulgi sustulit.

Quæ tamen viris excultis ita placuerat, ut in summo honore starent Ennius, Pacuvius, Attius, atque eorum instar egregii scriptores conarentur, non tragœdias, tragœdiarum certe simulacra, recitationibus offerre. Errabant autem, qui non sentirent dramata nulla jam esse quæ non agerentur. Evenit enim ut sub tragœdiarum nomine nil aliud quam alternæ declamantium controversiæ recitaretur. Tum subit Horatii sententia :

> Segnius irritant animos demissa per aurem
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
> Ipse sibi tradit spectator.

Itaque licet salticis fabulis, in quibus singulæ tantum effigies, nullo inter se vinculo cohærentes, spectabantur, tragœdiarum nomen summa injuria sit inditum; fatendum tamen est illis, ut Luciano Libanioque visum erat, plus fuisse cum vetere tragœdia, viva ac spirante, similitudinis, quam poeticis Senecæ sermonibus; quippe quos si in veram scenam fors tulisset induci, indocti doctique promiscue perosi essent.

Quid? romanam tragœdiam hoc ab origine prima corrupit, dein funditus atque immature subruit, quod in theatro, cujus indigeret, neque plebis fastidium pervincere potuit, neque rursum in scenam secretiorem, ut optabat Horatius, refugere, ubi sola doctorum virorum ope staret, solis illis placere studeret.

Excursus de Pomponii Secundi reliquiis.

Pomponii Secundi fragmenta quatuor collegit Ribbeck (p. 231 et 274) :

1° Unum ex *Ænea* prætexta, traditum a Charisio :

Ex humile rege[m] ;

2° et 3° Duo chori fragmenta inter fabulas incertas collocata, quæ Terentianus Maurus ac Marius Victorinus servaverunt, quorum alterum disjectum est neque satis potest intelligi :

Rhœteis procul a verris
. . . .
Priamique aras damnate pias
. . . .
Obrue nos Danaosque simul ;

alterius autem finis desideratur :

Pendeat ex humeris dulcis chelys
Et numeros edat varios, quibus
Adsonet omne virens late nemus,
Et tortis errans qui flexibus.
. . . .

4° Quartum ex *Atreo* Nonius refert :

Nunc te obsecro,
Stirpem ut evolvas meorum [me] que notifices mihi.

Hæc satis deceat Menelaum dicere vel Agamemnonem. At Quintilianus de *Adjectione* (IX, 3, 57) : « Invenitur apud poetas quoque, ut apud Homerum de sceptro, quod a Jove ad Agamemnonem usque deducit (*Iliad.*, II, 101) : et apud *nostrum* quoque *tragicum* :

Jove propagatus est, ut perhibent, Tantalus,
Ex Tantalo ortus Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus, qui nostrum porro propagat genus.

Hos versus incertis incertorum adscripsit Ribbeck (p. 249); quos equidem valde inducor ut cum prioribus conjungam, fratris scilicet verba fratri respondentis. Hoc præsertim suadent Quintiliani voces *nostrum tragicum*, id est, non *romanum*, verum *nobis æqualem*, ut indicat alter ille locus apud Senecam (*Epist.* 102) : « Cum *tragicus ille apud nos* (sc. *recentior*) ait : magnificum esse laudari a laudato viro : laude digno ait. Et quum æque *antiquus poeta* ait : Laus alit artes, non laudationem dicit, quæ corrumpit artes. »

Nostro Secundo quondam addictum fuerat aliud fragmentum, quod nobis hunc in modum tradidit Lactantius in Statii *Theb.*, X, 841,

...gemina latus arbore clusus
Aerium sibi porta iter :

« Admirabilis periphrasis scalarum. Pomponius sane in *Armorum judicio :*

Tum præ se portant ascendibilem semitam
Quam scalam vocitant. »

At Lange (*Quæst. metr.*, p. 30), Schmidt (*Rhein. Mus.*, XVI, 1861, p. 588-596) leges iambici versus ab Horatio (*A. P.*, 254 et seq.) edictas hic infringi animadverterunt, ideoque negaverunt Pomponium Secundum a Lactantio designari. His assentiens Ribbeck Pomponio Bononiensi, Atellanarum scriptori, fragmentum, de quo res est, reddidit (*Com. fragm.*, p. 228). Constat enim Pomponium Bononiensem fabulas fecisse, tragicis sub titulis, comicas. Fateor tamen parum apud me valere hoc argumentum ex antiquiore versus structura desumptum, quum constet Pomponium Secundum fuisse studiosum vetustioris sermonis imitatorem. Atque ipse verborum ambitus bene decet scriptorem « eruditione ac nitore » insignem. Quid quod Thebaidos commentator comicam parodiam non æquiparasset epicæ illi periphrasi quam « admirabilem » censeat. Quum præterea

nulla de Pomponii Bononiensis *Armorum judicio* usquam facta sit mentio, multo plus temeritatis in ista conjectura inesse mihi videtur, quam si credamus hunc versum Pomponio Secundo usque tribuendum, scilicet ex aliqua « facundi » nuntii narratione excerptum, paulo exquisitius, ut fit, eloquentis.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,
Pridie Nonas februar., ann. MDCCCLXXXIV :
Facultatis litterarum in Academia
Parisiensi Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis rector,
Gréard.

FINIS

SUMMARIUM

Cap. I. *Quænam in vetere Romanorum tragœdia propinquæ ruinæ signa dignoscantur* ... 1

§ 1. Quam cito corrupta sit apud Romanos tragœdia ... 1
§ 2. De saltationis initiis ... 6
§ 3. Quanta pars romanæ tragœdiæ musica facta sit ... 10
§ 4. De scenico apparatu ... 14
§ 5. Quænam apud Romanos, libera civitate, studia theatralis consessus fuerint ... 19

Cap. II. *De tragicis poetis qui bellorum civilium et Augusti principis tempore fuerunt* ... 27

§ 1. De Cæsare Strabone et de C. Titio ... 27
§ 2. De Julio Cæsare, Augusto, Q. Tullio, L. Balbo ... 31
§ 3. De Asinio Pollione, Cassio Parmensi, Santra ... 35
§ 4. De L. Vario, Ovidio et aliis aetatis ejusdem minoribus tragicis ... 42

Cap. III. *De Horatio romanæ tragœdiæ censore* ... 50

Cap. IV. *De tragica saltatione ac de salticis fabulis* ... 70

Cap. V. *De tragœdiarum cantoribus, de citharœdis* ... 83

Cap. VI. *De tragœdiarum recitationibus, de Pomponio Secundo* ... 93

§ 1. Quid tragœdiæ contulerit declamatorum disciplina ... 95
§ 2. De Pomponio Secundo et de romanæ tragœdiæ exitio ... 102
Conclusio ... 110
Excursus de Pomponii Secundi reliquiis ... 113

Coulommiers. — Typog. Paul BRODARD et Cie.

COULOMMIERS. — TYPOGRAPHIE PAUL BRODARD ET Cie.